Digitized by Google

ÆGIDII STRAUCHII,

PROFESSORIS QVONDAM WITTEBERGENSIS

APHORISMI ASTROLOGICI,

METHODICE IN USUM DOCENTIUM ET DISCENTIUM COLLECTI

ACCESSIT

CYPRIANI LEOVITII

DE

JUDICIIS NATIVITATUM DOCTRINA, EA METHODO TRADITA, UT OMNIUM THEMATUM CONSIDERATIONIBUS ACCOMMODARI POSSIT.

EDITIO SECUNDA.

VVITTEBERGÆ,

Sumptibus Hæred D. TOBIÆ MEVII

&

ELERDI SCHUMACHERI,

Literis Johannis Haken,

ANNO M. DC. LXXV.

BIBLIOTECA NA ROMA ...TTORIO EMANUE

ÆGIDII STRAUCHII

APHORISMI ASTROLOGICI

APHOR. I.

VTi *Aſtrologiæ* nomine eam inter Mathematicas Diſciplinas olim appellarunt, qvam hodie *Aſtronomiam* vocant, ita recentiores Scriptores Aſtronomiam inter & Aſtrologiã diſtinguere ſolent, qvarum illa motuum cœleſtium leges, in Spæricis & Thoricis præceptis, communiter ſic dictis, comprehenſas; hæc judicium, ex Aſtrorum diſpoſitione deſumptum, explicat. De earundem diſciplinarum diſcrimine, ita pervulgatum habet proverbum:

Qvantum Aſtronomi meti-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſt, imò nulla. Priusqvam enim ex aſtrorum configuratione prædicatur quippiam, ut loca aſtrorum & configurationes cœleſtes cognoſcamus, neceſſe eſt.

Aph. 4. Hæc cum animadverterint, qvi è noſtri ævi ſcriptoribus Aſtrologiæ dederunt operam, duas ejusdem fecerunt partes, qvarum altera, qvicqvid ex Aſtronomia, in judicio Aſtrologico, ſupponitur; altera vaticiniorum regulas comprehendat. Priorem μετεωρολογικὴν appellant qvidam, id eſt, doctrinam de ſideribus (cum non ſolùm corpora imperfectè mixta μετέωρα dicantur.) Poſteriorem ἀποτελεσματικὴν, ſive μανθικὴν, in qva de ſiderum viribus & efficacia verba faciunt. Nos in *Thematologiam* & *Aſtrologiam ſtrictè ſic dictam*, dividere, & qvicqvid circa hoc negotium tractari vulgò ſolet, ad alterutram partem referre, conſvevimus.

Aph 5. THEMATOLOGIA igitur nobis dicitur Scientia, ad datum qvodvis tempus, faciem cœli repræſentandi, ejusdemqve mutationes, è motuum ſideralium hypotheſibus, demonſtrandi.

Aph. 6. Astrologia autem ſtrictè ſic dicta, eſt Habitus στοχαστικὸς ſeu conjecturalis, rerum ſublunariū accidentia & eventus, cum ſuis temporibus, è cœli facie divinandi; & illam qvidem noſtris, hanc, aliorum, qvos Magiſtros in hac arte laudant, verbis proponemus.

Aph. 7. Prima Aſtrologi cura eſſe ſolet, ut tempus, â Politico propoſitum, tabulis Aſtronomicis, qvibus uti conſtituit, aptum fiat, de qva temporis præparatione etſi alibi â nobis actum ſit, attamen ne mutilatè proponi videatur doctrina hæc, ſummè neceſſaria repetemus.

Aph. 8. Præparare tempus Aſtrologi ſolēt *convertendo, æqvando & reducendo.*

Alp. 9. Conversio temporis nihil aliud eſt, qvam temporis uſualis, aliundè, qvam â meridie, numerati, in Aſtronomicum, qvod perpetuo â meridie deducitur, mutatio.

Alp. 10. Converſione temporis Politici, qvô pleriqve Europæi, cum Veteribus Ægyptiis, utuntur, dividentes diem in duodecim horas *â media nocte*, & alias duodecim horas â meridie nu-

merv-

meratas, convertere opus non eſt, qvoties hora pomeridiana â Politico exhibetur; nominatâ autem antemeridianâ horâ, per additionem duodecim ad horarum numerum, & ſubtractione unitatis, â numero dierum, converſio peragitur.

Aph. 11. Temporis, *ab ortu Solis* numerati, in Aſtronomicum converſio, noctis & diei artificialis præſupponit notitiam. Qvod ſi enim datæ horæ non exceſſerint tempus ſemidiurnum, per Subtractionem unitatis, â numerô dierum, & additionem XII. ad numerum horarum, unà cum tempore ſeminocturno, fit converſio. Sin vero datæ horæ exceſſerint tempus ſemidiurnum, per ſubtractionem ejusdem ſemidiurni temporis, converſio peragitur.

Aph. 12. Tempus *ab Occaſu Solis* numeratum, in Aſtronomicum convertitur: ſi horis datis tempus ſemidiurnum, ſeu â meridie ad occaſum numeratum addatur, ſumma 24. horas non excedens, patefacit horam Aſtronomicam qvæſitam, eidem diei adſcribendam

 exceſ-

exceſſus autem ultra 24. horas, patefacit horam Aſtronomicam, in die ſeqventi ab Aſtronomis numeratam.

Aph. 13. ÆQVATIO temporis, ope tabulæ cujusdam, qvæ *pag*. 468. *editionis noſtræ* extat, ita peragitur; Locus Solis ex Ephemeridibus, vel aliunde, ad meridiem ejus diei, ad qvem motus è tabulis colligendi ſunt, cognitus, in tabulam æqvationis immittitur, & in area reſpondentes particulæ tempori apparenti, qvod inæqvale eſt, ſecundum monitum literæ additur vel ſubtrahitur, ita enim provenit tempus, Tabulis Aſtronomicis accommodatum.

Aph. 14. REDUCTIONIS particula, uti nihil aliud eſt, qvam arcus Æqvatoris, inter Meridianum loci dati, & ejus, ad qvem Ephemerides conſtructæ ſunt, interceptus, ita Longitudines utriusqve loci â ſe invicem ſubtrahantur, & differentia ê tabula noſtra *p*. 467. niſi aliunde cognita ſit, ê tabula nempe *pag*. 470. *& ſeqq*. in tempus mutetur. Eſtqve eadem Reductionis particula â tempore, in loco Orientaliori numerato, ſubtrahenda

da, ut proveniat tempus, in loco Occidentaliori reſpondens. Vel tempori, in loco Occidentaliori numerato, addenda, ut proveniat tempus, in loco Orientaliori reſpondens.

Aph. 15. Præparatô tempore prima Aſtrologi cura eſſe ſolet, ut *Planetarum, Capitis item & Caudæ Draconis*, ſeu interſectionum deferentis Lunæ & Eclipticæ inveſtiget, qvæ commodè in tali negotio ex Ephemeridibus inveniuntur; In iisdem enim, ad cujusvis diei meridiem, annotata ſunt Planetarum, & ☊ loca, qvod ſi ergo Genitura tempore meridiei præcisè facta ſit, reſpondentes numeri, ſine correctione, retineantur. Si verò, qvod ſæpius accidit, hora genituræ meridiana non ſit, excerpantur loca eadem, ad dies duos, datum & proximè ſeqventem, eademqve â ſe invicem ſubtrahantur, ut habeantur motus planetarum diurni. Hinc *primò* locô in *Regula De-Tri* ponantur 24. horæ ſive 1440. Scrupula, *Secundò* differentiæ inventæ ſingulæ, *Tertiò* tempus â meridie datum, qvô facies cœli repræ-

ſentari debet. Elicitur hâc ratione facili negotio pars proportionalis, qvâ additâ ad locum Planetæ, qvem tempore meridianô dati diei obtinuit, ſi idem Planeta directus ſit, vel contra, ſi retrogradus, ſubtractâ, innoteſcit locus Planetæ ad tempus propoſitum.

Aph. 16. Porrò, utut de Cœli rotunditate nemo Aſtrologorum dubitet, initio autem & fine rotundum corpus careat, ab Aſtrologis tamen in duodecim partes cœlum dividi ſolet, qvas *Domus, Domicilia, Templa,* &c. vocare ſolent, Domorumqve initia *Cuſpides*.

Aph. 17. Cæterùm qvâ ratione diviſio Domorum commodiſſimè inſtitui poſſit, inter ſe diſſentiunt Aſtrologi. Celebriores eorundem hypotheſes recenſebimus. *Prima*, vulgò *æqvalis* dicta, *Ptolomæi* fuiſſe dicitur, vel *Julii Firmici Siculi*, qvi 150. annis poſt *Ptolomeum* vixit, diviſerunt hi cœlum univerſum per ſex latitudinum circulos, in XII. domicilia, ratione ſpatiorum, in Zodiaco, æqvalia, eorundemqve ordinem â puncto Eclipticæ Oriente deduxerunt. De

eâdem

eâdem methodo ita *Schonerus*: Antiqvi illi Sapientes, cum haud dubiè, duce „ DEO, animadvertiſſent, ſtellas erran- „ tes viam Solis tanqvam Regis & Du- „ cis ſui veſtigia ſectari, ac in circulo „ obliqvo, qvem poſtea â XII. imagini- „ bus Zodiacum appellarunt varias ac „ inſignes ciere mutationes ac viciſſi- „ tudines in corporibus & rebus infe- „ rioris naturæ, pro diverſis concurſi- „ bus ac configurationibus in eodem „ limite, eundem circulum in duode- „ cim ſpacia, ad numerum Synodorum „ Solis & Lunæ, in annuo ſpatio divi- „ viſerunt &c. Addit paulò poſt; o- „ mnes veterum Aſtrologicas prædi- „ ctiones huic fundamento inniti. Eandem methodum commendant *Cardanus* & veterum penè multi.

Aph. 18. Immutarunt pauliſper methodum hanc, qvi Zodiacum in XII. partes æqvales diviſerunt qvidem, ſed per ſex Declinationum circulos, qvos in locum circulorum Latitudinum ſubſtituerunt, ſupponentes, pro Cuſpidibus domorum cœleſtium, aſcenſiones re-

rectas. Placuit hæc methodus *Alcabicio, Johanni de Saxonia*, & aliis qvibusdam Aſtrologis; Diſplicuit verò & hæc & præcedens methodus *Johanni Regiomontano*, qvi ideò potiſſimum hypotheſin hanc rejecit, qvod ſpatia domorum, hâc lege diſtinctarum, magnitudines certas ac firmas ſervare neqveant, & neceſſe ſit, domos ab Horizonte truncari, qvod priſcorum Philoſophorum ſententiæ, ſex domos ſupra horizontem, ſex infra eum commemorantium, manifeſto adverſum ſit; Situs deniqve Stellarum ſupra vel infra Horizontem, in hac domorum diſpoſitione, negligatur prorſus.

Aph. 19. Aliam & â prioribus diverſam erigendi thema genethliacum, rationem *Campanus Novatienſis Italus* ſecutus eſt, adhibitô circulô Verticali, qvem præter Meridianum & Horizontem, qvatuor circuli Poſitionum in XII. æqvales partes ſecent. Atqve hanc methodum commendant qvoqve *Lucas Gauricus, Orontius*. Rejicit verò eam *Regiomontanus*, qvod circulo Verticali ima-

imaginario, ac nihil virtutis habenti, innitatur.

Aph. 20. Celeberrima præ reliquis vulgò ſic dicta RATIONALIS METHODUS eſt, cujus inventorem vel interpretem R. *Abraham Aben-Eſram* laudant, qvi circa annum Chriſti 1145. floruiſſe dicitur; Atqve hanc demum *Johannes Regiomontanus* ſuam fecit, unde & ab eo denominari â qvibusdam ſolet. Dividunt autem Aſtrologi, hâc methodô utentes, Cœlum in XII. partes, ita, ut Horizon ortivus monſtret Cuſpidem primam, Occiduus VII. Meridiani pars ſuperior X. inferior IV. Reliqvas Cuſpides deſignant circuli Poſitionum qvatuor, qvorum primus per 30. Æqvatoris gradum, â gradu hujus circuli oriente ducitur, ſecundus per ſexageſimum, tertius per centeſimum & vigeſimum, qvartus per centeſimum & qvinqvageſimum. Qvamvis autem ferè dici neqveat, in qvanto pretio inventum hoc apud pleroſqve Aſtrologos ſit, in qvorum ſcriptis paſſim modus ille *rationalis* dicitur, qvod certis ac fir-

mis rationibus, â *Regiomontano* comprobatus ſit, inventi tamen nihilominus ſunt, qvi qvodammodo *irrationalem* æſtimarunt, hancce erigendi themata genethliaca methodum, ut *Gauricum*, *Orontium* & alios taceam, *Simon Marius*, *Petrus Crügerus*, & *Dominus Abdias Trevv* parum huic modo fidunt, tum qvod Ptolomeum aliam hypotheſin, in canonibus ſuis Aſtrologicis, præſuppoſuiſſe putent, qvi canones â pleriſqve Aſtrologis, ad methodum *Regiomontani*, hodierno die, ineptè applicentur, tum qvod rationes phyſicæ deeſſe videantur, qvibus diviſio cœli in XII. domicilia probabilis reddi poſſit, tum qvod circa polos circulorum poſitionum, nullus corporum cœleſtium motus fiat, tum deniqve, qvod Zonarum frigidarum incolis, ſecundum rationalem modum, ê themateGenethliaco, nil prædici qveat.

Aph. 21. Nos uti cœli facies ſecundum modos inſigniores repræſentari qveat, docebimus qvidem, ipſam tamen Aſtrologorum, de duodecim domiciliis,

is, hypotheſin, noſtram non faciemus. Qvemadmodum enim qvatuor Cardinalia cœli puncta *Meridianus* & *Horizon* non obſcurè monſtrant, ita in reliqvis domiciliis conſtituendis, plus Ethnicæ vanitatis, qvam ſcientificæ ſoliditatis reperitur, imò miſerrimum animal eſſet homo, mancipium nempe rerum vitâ carentium, ſi veri eſſent Aſtrologorum canones, ê qvibus non tantum per hypotheſin, de duodecim domiciliis, ea qvæ contingentia in Scholis dici ſolent, ſed ipſam nati religionem prædicere, non dubitant, obſervantes ſcilicet, pro ea, *tertiam* & *nonam* domos, ut parum abſint architecti iſti domiciliorum cœleſtium, à profana *Materni* & *Albumaſſaris* vanitate, qvorum ille, *Saturnus*, ait, *in Leone conſtiutus, facit longævos, qvorum anima poſt mortem ad Cœlos tranſibit*; Hic autem: *qvi DEO ſupplicaverit horâ, qva Luna cum capite Draconis Jovi conjungitur, impetrat qvicqvid petierit.* &c. Loqvamur igitur tantiſper cum vulgo, ſentiamus autem cum Cordatis contingentiæ & libertatis hu-

manæ adſertoribus, qvod ſemel monuiſſe ſufficiat.

Aph. 22. Faciem cœli *ſecundum modum æqvalem*, ad datum qvodvis temtempus, ope globi ita repræſentabis: *Primò* ex Ephemeridibus Planetarum loca excerpas, eosdemqve Planetas, in globo, per uſitatos eorundem characteres, notes. *Secundò* cognitâ latitudine loci, ſeu elevatione poli, in loco dato, tot gradus, qvot eadem conſtat, in *Meridiano* numerentur, ut terminus alter polus ſit, alter Horizon; *Tertiò* locum Solis cognitum ad Meridianum ducas; & indicem horarium ad horam XII. *Qvartò* circumage globum, donec index in cyclo monſtret horam, & qvadrantem ſeu minutum, qvo facies cœli repræſentari debet. *Qvintò* concipiantur ſex circuli latitudinum, qvorum primus per punctum Eclipticæ in Horizonte Oriens, & ejus oppoſitum ducitur, alter per punctum Eclipticæ ab Oriente 30. gradibus diſtans, tertius per punctum Eclipticæ ab Oriente 60. gradibus diſtans, & ſic porro; Videbis totam cœli machinam in XII. domicilia diſtin-

ctam

ctam, primus enim Latitudinis circulus, I. & VII. ſecundus XII. & VI, tertius XI, & V. qvartus X. & IV. qvintus IX. & III. ſextus IIX. & II. Cuſpides indicabit.

Aph. 23. Faciem cœli, ſecundum modum *Campani*, ope globi, repræſentabis hôc modô; Cum globo qvidem agas ut antea dictum eſt, at locô circulorum latitudinis, imagineris tibi verticalem, ductam â Zenith usqve ad Nadir, vel ab Horizontis parte orientali, qva cum Æqvatore concurrit, usqve ad Horizontis partem occidentalem. Hunc circulum, præter Horizontem & Meridianum, dividant qvatuor circuli Poſitionum, æqvaliter â ſe invicem, atqve Horizonte & Meridiano remoti, nempe per 30. gradus, qvorum primus per ipſum trigeſimum verticalis ſupra Horizontem gradum tranſeat, alter per trigeſimum â Meridiano, tertius per trigeſimum â Meridiano verſus Occidentem, qvartus per trigeſimum ab Horizonte occidentali ſuperius numeratum. Ita enim Horizon referet Cuſpidem I. & VII. Circulus Poſitionum proximus XII. & VI, huic ſucce-

ſuccedens XI. & V. Meridianus X,& IV, circulus poſitionum trans meridianum IX.& III.deniqve Horizonti occidentali proximus VIII. & II.

Aph. 24. Faciem cœli *ſecundum modum rationalem*, ope globi, eâdem ratione repræſentabis; convenit enim hic modus cum præcedenti, ratione uſus circulorum poſitionum,per qvos tamen in præſenti non Circulus Verticalis, ſed Æqvator, in XII. partes æqvales dividitur.

Aph. 25. Faciem cœli ſecundum modum æqvalem, *Tabularum ope*, cognoſces & ob oculos pones: Si Adſcenſionem rectam Sòlis addas ad Aſcenſionem Rectam temporis, ut habeatur A. R.medii cœli, huic addas 90. gradus, ut habeatur A. O. I. cui Aſcenſioni reſpondens in Ecliptica gradus, cum minutis, ê tabula Aſcenſionum obliqvarum, ad latitudinem loci dati conſtructa, excerpas; Innoſcet punctum Eclipticæ, Cuſpidi Imæ imponendum. Qvod ſi reliqvis cuſpidibus, retentis iisdem gradibus & minutis, ſigna Zodiaci ordi-

ordine receptô inſcribantur, & Planetæ una cum Capite & Cauda Draconis convenienter in ſpatiola, cum qvibus ratione ſigni conveniunt, collocentur, faciem cœli in globo conſpicies. Cæterùm annotant pleriqve punctum qvoqve Eclipticæ culminans, qvod per A R. medii cœli invenitur, & COR COELI ab Aſtrologis vocatur.

Aph 26. Faciem cœli ſecundum modum rationalem, *Tabularum ope*, ita cognoſces & ob oculos pones. Ad A. Rectam medii cœli addantur 30. grad. ut habeatur A. O. XI. cui denuò addantur 30. grad. ut innoteſcat A. O. XII. & ita pergatur, usqve ad Cuſpidem tertiā incluſivè. Cognitis aſcenſionibus obliqvis Cuſpidum, è *Tabula Domorum* ad elevationem loci geniturae, excerpantur elevationes ſingularum cuſpidum atqve è Tabulis Aſc. Rect. & Obliq. innoteſcent ordine X. XI. XII. I. II. III. cuſpides, qvibus inventis, Cuſpidibus oppoſitis, puncta Eclipticæ oppoſita, imponantur. Cum Planetis autem agatur, ut dictum eſt anteà.

Aph.

Aph. 27. Aliâ inſuper methodô faciem cœli , . ſecundum modum rationalem, *ope certarum Tabularum*, qvas *DOMORUM* vocant, cognoſcere & repræſentare qvidam ſolent, qvod negotium, ut intelligas, ſciendum ante omnia eſt, *Tabulas Domorum* ita vocari; qvia ope earundem, Domuum ſpatia compendioſè inveſtigari poſſunt. Conſtruxerunt verò ejusmodi tabulas *Origanus* imprimis & *Ranzovius*, ad certas tamen Elevationes poli tantùm. Uſurpandæ ſunt hæ ipſæ tabulæ hôc modô: (1) Elevatione loci genituræ cognitâ, qværatur inter tabulas Domorum ea, qvæ cum elevatione loci genituræ, vel exactè, vel qvam proximè congruit, qvod ipſum ê titulo harum tabularum, absq; ulla difficultate, cognoſcitur. (2) Competentem tabulam ingredere, & ſignum veri loci Solis obſerva in fronte, ſub titulo 10. Gradus verò deſcendendo qvære, ê qvorum regione, ſub titulo; *tempus â meridie*, qvod invenitur, excerpe. (3) Eidem tempori adjice tempus geniture, tantùm converſum, ſi tamen converſio-

verſione indiget, itemqve pro ſingulis qvindecim minutis primis, loco Solis adhærentibus, adde eidem tempori unum minutum primum. (4) Si ſumma 24 horas excedat, abjice easdem & reſiduum retine. (5) Cum hoc reſiduo, vel ipſa ſumma, iterùm tabulas Domorum ingredere, qværendo Numerum horarum & minutorum in columna, cujus titulus: *Tempus à meridie*: Numeri enim qvi tempori tuo vel exactisſimè, vel qvam proximè reſpondent, puncta Cuſpidibus ſex imponenda patefacient. Domibus verò oppoſitis, oppoſita ſigna, retentis iisdem ſignorum partibus, inſcribenda ſunt. Hoc memineris, ſi inter Latitudinem loci datam, & tabulam Domorum inventam, differentia aliqvot graduum reperiatur, præſtat numeros è duabus tabulis, excerpere & cuſpidibus medios inſcribere, ut e. g. Si Latitudo loci genituræ ſit 49. Grad. 30. Min. vel circiter, conferendæ erunt Tabulæ ad Elevationem 48. Grad. & 51. ſiqve tempus à meridie ſit 0. H. 0. 10//. reſpondebunt in tabula ad Lat. 48. pro

Horo-

Horoſcopo 23. Grad. 55./. ♋. ad latitudinem verò 51. grad. reſpond. 26. grad. 14. ♋. Qvia ergo Latitudo loci genituræ ferè media eſt, inter latitudines, ad qvas conſtructæ ſunt tabulæ, ideo qvoqve medii inter arealis numeros commodiſſimè accipiuntur, id eſt, inſciberem Horoſcopo 25. *Grad*. 4. / ♋. &c. Deniqve Planetæ eôdem modô Schemati, ê tabulis Domorum conſtructo, inſcribuntur, atqve eosdem Schemati, ê globo deſcripto, inſcribendos eſſe, proximè diximus.

Aph. 28. *Patrium fortunæ*, qvaſi ſimiliter Schemati Aſtrologico ſolent inſcribere, alia â Sole in Lunam eſt, qvæ etiam *Ptolomatica* dicitur, alia â Lunâ in Solem. *Illa* eſt certum cœli punctum, ad qvod radius Solis ad Lunam demisſus, ita reflectitur, ut ſit ſimilis radio ejusdem Solis, ad Horoſcopum demiſſo, unde etiam tantum diſtat â Luna, qvantum Horoſcopus â Sole. *Hæc* eſt certum cœli punctum, ad qvod radius Lunæ, ad Solem demiſſus, ita reflectitur, ut ſit ſimilis radio ejusdem Lunæ, ad Horo-

Horoſcopum demiſſo, unde etiam tantum diſtat à Sole, qvantum Horoſcopus à Luna.

Aph. 29. Utraqve Locis Luminarium veris adhibitis, & à ſe invicem ſubtractis, invenitur, ſed diverſimodè tamen diſpoſitis. Etenim prior, nempe *pars fortunæ à Sole*, ſi qværatur, locus Lunæ ſupra, Solis autem infra ponitur; Sin poſterior, vice verſa agitur. Reſidui poſt ſubtractionem numeri, ſigni, cum gradibus & minutis, Horoſcopo ſi adjiciantur, habebis loca, qvæ deſideras, nempe utriusqve partis fortunæ.

Aph. 30. Sed nec *Antiſcia* Aſtrologorum vulgus negligit, qvæ nihil aliud ſunt, qvam certa cœli puncta, ab altero, vel utroqve Tropico æqvali ſpatio diſtantia, hinc & æqvales habent aſcenſiones & deſcenſiones, dies qvoqve qvando in iisdem ☉ verſatur, æqvales exiſtunt, & Luminaria, dum in iis ſignis & ſignorum gradibus incedunt, umbras æqvales in his inferioribus efficiunt, unde Antiſciorum nomen eſt. Inveniuntur verò Antiſcia hôc modô: Gradus

&

& minuta ejus puncti cœleſtis, cujus Antiſcium habere deſideras, ſubtrahe è 30. *Grad.* Reſiduum enim Gradum & minuta Antiſcii patefaciet ejus ſigni, qvod hæc tabella exhibet.

♋	♌	♍	♎	♏	♐
♊	♉	♈	♓	♒	♑

Aph. 31. Solent inſuper in accuratis judiciis Aſtrologicis *Stellarum fixarum* rationem qvandam habere, earum imprimis, qvæ prope Cuſpides reperiuntur, ſi magnitudine & Luce præſtent, neqve ab Ecliptica nimium diſtent, Cæterùm qvia *Tycho* Longitudines & Latitudines Stellatum fixarum, *ad annum Chriſti* 1600. per obſervationes reſtituit, è Catalogo *Tychonico* eadem excerpantur. Hoc unum notes, ſi Longitudines Stellarum fixarum, alio tempore, qvam â *Tychone* aſſumtum eſt, deſideres, pro ſingulis qvinqve annis, milleſimum & ſexcenteſimum ſeqventibus, 4. minuta Longitutidini inventæ addenda, pro antecedentibus autem totidem ſubtrahenda eſſe. Latitudo correctione non indiget, qvia vix ſenſibilis ejusdem varia-

tio

tio deprehendi poteſt, intra tria vel qvatuor ſecula, propter tardisſimam Stellarum fixarum ab Ecliptica digresſionem. Deniqve inventis Stellarum fixarum locis, inſcribuntur illæ, eô modô, qvò Planetas inſcribendos eſſe diximus.

*Aph.*32. Figuræ cœleſti *Speculum* addunt Aſtrologi: *Speculum* autem *Aſtrologicum* vocant, in qvo, ut imago in ſpeculo, ita aſpectus exhibentur, ſive mutua ſtellarum habitudo. Structura facilis eſt, notatis ſuperius Signis Zodiaci, in latere gradibus & minutis ſignorum, in qvibus reperiuntur Stellæ, deniqve in angulo communi Stellis ipſis & aſpectibus, de qvibus alibi dictum eſt; hoc unum in præſenti addo, Aſpectum ſeu radium ſtellæ alium vocari ſimplicem, alium duplicem: *ſimplex* eſt diametralis, ſive oppoſitio, *duplices* verò dicuntur reliqvi, *dextri* qvidem, qvi radiant S. S. S. *Siniſtri* autem, qvi radiant C. S. S. De limitatione aſpectuum, propter Latitudinem Stellarum, vide *Longomont.* Sph. L. II. p. 100.

Aph.

Aph. 33. Ut generatim de Domorum cœleſtium diviſione qvædam dicamus; *primò* ratione ſignificationis eas diſcernunt. De re barbara circumferuntur verſus, rei ipſius indolem ſapientes:

Vita, lucrum, fratres, genitor, nati valetudo
Uxor, mors, pietas, regnum, benefactaq; carcer:

Plenius Domorum ſignificationes expreſſit *Gauricus:*

Prima Domus vitæ verſat præſagia noſtræ,
Altera divitias & bona parta notat.
Tertia dat fratres, iter & breve, relligionem.
Qvarta Domus ſtabiles res, ſimul atq; patrem.
Qvinta dabit natos, convivia, dona, jocosqve.
Sexta pecus, ſervos, ægraq; membra viris.
Septima dat rixas, hoſtes, connubia, mortem.
Octava hæredes, denotat, atq; necem.

Relli-

Religionis opes, & itinera longa, ſopores
Ad cœli culmen regna, trophæa, decus.
Spemq; bonus genius præbet, fidosq; ſodales.
Ultima carceribus, hoſtibus atq; datur.

*Aph.*34. *Secunda* Domiciliorum cœleſtium diviſio eſt, qvâ alia *angularia*, ut I. X. VII. IV. Alia *ſuccedentia*, ut II. V. VIII. XI. alia *cadentia*, ut III. IX. VI. XII. dicuntur.

Aph. 35. *Tertiò*, alias *aſcendentes* vocant domus, ut III. II. I. XII. XI. X. alias *deſcendentes*, ut IX. IIX. VII. VI. V. IV

*Aph.*36. *Qvartò*, qvædam ſunt *Orientales*, XII. XI. X. qvædam *Meridionales* IX. IIX. VII. qvædam *Occidentales*, VI. V. IV. qvædam *Septentrionales*, III. II. I.

*Aph.*37. *Qvintò* hæc domicilia *ſupra terram* eſſe dicuntur â I. per X. qvæ ſunt usqve ad Cuſpidem VII. reliqva *Infra terram*.

*Aph.*38. In diviſione *ſignorum* Zodiaci, non minus copioſi eſſe ſolent Aſtrologi. Vocant enim.

{ *Mobilia* ♈. ♋. ♎. ♑.
{ *Fixa* ♉. ♌. ♏. ♒.
{ *Communia.* ♊. ♍. ♐. ♓.

{ *Imperantia* & Septentrionalia, ♈. ♉. ♊. ♋. ♌. ♍.
{ *Obedientia* & Meridionalia ♎. ♏. ♐. ♑. ♒. ♓.

{ *Maſculina* & diurna ♈. ♊. ♌. ♎ ♐ ♒
{ *Fœminina* & nocturna ♉. ♋. ♍. ♏. ♑. ♓.

{ *Violenta* ♈. ♎. ♏. ♑ ♒.
{ *Non violenta* reliqva.

{ *Humana* &bonam vocem habentia, ♊ ♍ ♒. ♎. & 15. Gr. ♐. priores.
{ *Medriocria* ♈. ♉ ♍. ♑. & altera medietas ♐.
{ *Bruta* & voce carentia ſ. muta ♋. ♏ ♓

{ *Fœcunda* ♋. ♏. ♓.
{ *Modiocria* ♈ ♉. ♎ ♐. ♑ ♒.
{ *Sterilia* ♌ ♍. ♊.

A nonnullis ſterilibus additur Aries &c.

Aph. 39. Signorum Zodiaci ſignificationes, in relatione ad membra corporis humani, ita recenſet Manilius.

Namq; Aries capiti: Taurus cervicibus hæret,

Bra-

Brachia ſub Geminis cenſentur, pectora
Cancro.
Te Scapulæ, Nemaee, vocant, teq; ilia,
Virgo,
Libra colit clunes & Scorpius inguine
regnat.
Et femur Arcitenens, genua & Capri-
cornus amavit.
Cruraq; defendit Juvenis, veſtigia Pi-
ſces.

Aph. 40. Porrò hôc modô Planetas à ſe invicem ſolent diſcernere, vocantes.

{	*Beneficos*	♃. ♀. Cap. Drac.
	Maleficos	♄. ♂. Caud. Drac.
{	*Maſculinos*	♄. ♃. ♂. ☉.
	Fœmininos	♀. ☽.
	Indifferentem	☿
{	*Fœcundos*	♃. ♀. Cap. Drac.
	Steriles	♄. ♂. Caud. Drac.

Aph. 41. Planetas reſpectu mutuô, in Naturaliter diligentes & odio habentes ſe invicem, ita dividunt Aſtrologi.

Saturni amici ſunt ♃. ☉. ☽.
inimici ♂. & imprimis ♀
Jovis amici præter ♂. omnes.
Martis amica unica ♀.
inimici omnes, imprimis ☿ & ☉.

Solis amici ♃ & ♀.
Inimici ♂ ☿ ☽.
Veneris amici omnes præter ♄.
Mercurii amici ♄ ♃ ♀.
Inimici ♂ ☉ ☽.
Lunæ amici ♄. ♃. ♀.
Inimici ♂. ☉.
Capitis Draconis amici ♃. ♀.
Inimici ♄. ♂.

Aph. 42. His & ſimilibus commentis vulgares Aſtrologorum Libri pleniesse ſolent, qvibus tamen qvid tribuendum ſit, qvi accuratius rem omnem ſecum perpendit, facile dijudicare poterit. Nos miſſis hujusmodi nugis, ad Doctrinam de Directionibus. ex Aſtronomia dijudicandam, pergimus. Eſt igitur DIRECTIO nihil aliud, qvam inveſtigatio *arcus Æqvatoris* inter duo loca cæli intercepti, determinans numerum annorum, qvô elapsô, certus, è poſitu cœli probabiliter præviſus, eventus futurus eſt. Sive, definiente *Origanô*, eſt vel loci Zodiaci, vel Planetæ thematis Natalitii, ad obviantes in curſu Planetas, vel radios, per partes æqvinoctialis

lis circuli, in data ſphæræ habitudine, artificioſa deductio.

Aph.43. *Terminus, à qvô* directio fit, ſeu locus cœli, qvi dirigitur, vocatur SIGNIFICATOR, itemqve προηγούμενος ſive antecedens; In iisd. vero determinandis, ſententiæ Aſtrologorum variant: Recentiores, ut *Keplerus* & *Dn. Abdias Trevv*, itemqve alii, rejectis reliqvorum ſignificatorum directionibus, *luminarium* tantùm, *Horoſcopi* & *medii cœli* directiones efficaces eſſe ſtatuunt. Alii *Planetas* non tantùm ſingulos, *domicilia* item cœleſtia, ad unum omnia, ſed *partes fortunæ* qvoqve dirigunt. Qvod ſi ulla horum locorum in radice eſſet evidens & certa ſignificatio, non appareret facilè, qvare in ſpeciali Judicio eadem omittenda eſſent.

Aph.44. *Terminus, ad qvem* Directio inſtituitur, PROMISSOR dicitur, aliâs etiam ἑπόμενος. Eſtqve non tantùm *aſpectus* in ſpeculo Aſtrologico occurrens, itemqve *domicilium* qvoddam cœleſte, ſed etiam *Terminus* alicujus Planetæ & multò magis *corpus* ejus; Enimvero

rò dePromiſſoribus eligendis denuo non conveniunt Aſtrologi, cum *Dn. Trevu* rejiciat *Terminos* & è contrario aſſerat, directiones inſtituendas eſſe, ad *ſtellas fixas regias*, primæ & ſecundæ magnitudinis, ab Ecliptica parum remotas.

Aph. 45. Cæterùm præ reliqvis Directionibus obſervandæ ſunt eæ, qvæ pro vitæ ſpatio determinando inſtituuntur; Ridiculum enim foret inqvit *Cyprian. Leovitius*, aſſeverare aliqvid de divitiis, conjugio, liberis, vel honoribus nati, qvi non perventurus ſit ad ætatem, congruentem illis actionibus. Qvamvis, autem ne qvidem in his directionibus, qva Significatores & Promiſſores, conveniant Aſtrologi, in præſenti tamen methodum ejusdem *Cypriani* adduxiſſe ſufficiat: *Ego*, inqvit, *ſemper ferè ſoleo gradum Horoſcopi dirigere, ſecundum ſignorum & graduum ordinem, ad loca interficientia, h.e. ad Planetas malignos, vel eorum hoſtiles radios. Neq; vero tantùm malignorum, ſed etiam cujusvis alterius Planetæ radius inimicus interficit, modò*

occurſus ejus directionis in Termino ejus Planetæ contingat, qvi in radice ſignificationem mortis habet. Significationem mortis autem is Planeta habere dicitur, (1) qvi octavam domum poſſidet, aut eidem domui imperat. (2) qvi Gubernatori octavæ domus jungitur, (3) locum Planetæ, octavam domum poſſidentis, aut eidem dominantis, diſponit &c.

Aph 46. Directionem vulgò faciunt duplicem, alteram *directam*, ſive εἰς τὰ ἑπόμενα & S. S. S. vocant, alteram *retrogradam*, ſeu εἰς τὰ προηγούμενα & C.S.S. *Prior* dicitur motus Sphæræ, qvô Significator deducitur directè ad Promiſſorem, dependens ab arcu Æqvatoris, qvi reſpondet intervallo Eclipticæ, qvod eſt inter Significatorem, ac Promiſſorem, reſpectu circuli Poſitionis, ſub qvo idem Significator jacet. Atqve adeò in hac Directione Significator mobilis ad Promiſſorem fixum deducitur. Qvadrat verò hæc directio ad *Horoſcopum, Medium cœli*, & ſingulos *planetas* directos, itemqve (teſte *Origano*) ad *Aphetam* in qvocunqve loco conſtitutum.

Google

Aph. 47. *Converſa* ſive retrograda *Directio* dicitur motus Sphæræ, qvô Significator ducitur retrogradè ad Promiſſorem, dependens ab arcu Æqvatoris, qvi reſpondet intervallo Eclipticæ qvod eſt inter Significatorem & Promiſſorem, reſpectu Circuli Poſitionis, ſub qvod idem Promiſſor jacet. Atqve adeò in hac directione promiſſor mobilis ad Significatorem fixum deducitur. Qvadrat verò ê communiori Aſtrologorum ſententia ad Planetas retrogrados, & partes fortunæ; etſi *Ptolomæus* L. III. Qvadripart. c.14. *Aphetæ* tantum, ſeu prorogatori vitæ inter meridiem & occaſum conſtituto, eandem aſſignet & ὠρμαίαν vocet, qvandoqvidem & ſecundum Conſeqventia & Antecedentia inſtitui poteſt.

Aph. 48. *Directio Domus X. ope globi ita inſtituitur:* Adductô Eclipticæ punctô, qvo *Cuſpis Decima* inſignitur, ad Meridianum, innoteſcit A.R. Medii cœli, adducto item Promiſſoris loco ad eundem circulum, innoteſcit A.R. Promiſſoris. Intervallum utriusq; Aſcenſio-

nis determinat annos, qvibus elapſis, Significator ad Promiſſorem ſuum venire, dicitur, ſi pro ſingulis *gradibus* ſinguli *anni* aſſumantur.

Aph. 49. *Directio Imæ Domus, Ope globi, ſeqenti ratione peragitur* : Polô legitimè elevatô, ſecundum latitudinem loci genituræ, gradus Eclipticæ oriens, ſeu punctum X. impoſitum ad Horizontem ortivum adducatur, ut innoteſcat ejusdem puncti Aſcenſio obliqva, dein eôdem modô, applicando Promiſſoris locum, ad Horiz. ortivum, cognoſces ejusdem qvoqve Aſcenſ. obliqvam, qvorum unâ ab alterâ ſubtractâ, innoteſcet ut anteà, per Æqvatoris gradus, annus is, in qvem directio incidit.

Aph. 50. *Directio cujusvis puncti cœleſtis, Ope globi, ita peragitur* : Circulus Poſitionis per Significatorem ductus & rite elevatus, patefacit A. O. ejusdem Significatoris; Ad eundem circulum, ſi advolvatur Promiſſor qvoqve innoteſcit ejusdem A. O. Utriusqve vero differentia, in gradibus patefacit Directionis annos. Poteſt res per Horizontem

expediri, ſi pro elevatione poli Æqvatoris tot in meridiano gradus numerentur, qvot idem polus, ſupra Circulum Poſitionis, per Significatorem ductum, elevatur.] Tunc enim Horizon vices circuli Poſitionis ſuſtinet.

Aph.51. Directiones Xæ. vel puncti cujusvis, in Meridiano exiſtentis, per uſum Tabularum inſtitui debent hôc modô: Aſcenſiones rectæ Significatoris & Promiſſoris cujusvis, è tabulis Aſcenſionum rectarum cognitæ, ſubtrahantur â ſe invicem, reſidui gradus exhibent annos, & Minuta ſingula ſex dies ferè. Sed recentiores Aſtrologi, de tempore ſpeciali, h.e. menſe, aut die eventus, per directiones inveniendo, non laborant, ſed generale duntaxat tempus, h. e. annum currentem prædicere ê directionibus ſolent. Qvô cognitô per *Profectiones* demum & Tranſitus, tempus ſpeciale, hoc eſt, menſem & diem colligunt.

Aph.52. Directiones Primæ & reliqvarum Cuſpidum orientalium per uſum Tabularum cognoſces, ſi in competenti tabula, pro elevatione Cuſpidis, qvæ Signifi-

gnificatoris vices ſuſtinet, ejusdem A. O. qværas, nec non ex ead. tabula Promiſſoris A. O. Differentia, ut antea dictum eſt, qvæſitum directionis tempus patefaciet.

Aph. 53. *In Directionibus Cuſpidum occidentalium*, Loco Aſcenſionis obliqvæ, uſurpetur Deſcenſio, qvæ innoteſcit additis Aſcenſioni 180. Gradibus.

Aph. 54. *Deniq; in Univerſa de directionibus doctrina, regulæ ſeqventes obſervandæ ſunt:* (I) *Cuſpidum* Directiones ad eum modum peraguntur, qvem hactenus explicavimus. (II) *Planetæ* in Cuſpidibus reperti diriguntur, eôd. modô, ut Cuſpides. (III.) *Puncta* cœli orientalia dirigenda, extra cuſpides reperta, diriguntur, inventâ Significatoris & Promiſſoris A. O. ê tabulis competentibus Elevationi poli, ſupra circulum poſitionis cujuslibet Significatoris. (IV) *Planeta in occaſu*, dirigitur per Deſcenſiones obliqvas. (V) Si Significator dirigendus *retrogradus* fuerit & Promiſſor in parte cœli Aſcendente verſetur, ſubtrahitur A. O. Promiſſoris, ab A. O. Si

gnificatoris, ad elevationem poli, ſupra circulum Poſitionis Promiſſoris, in utraqve Aſcenſione, habitô reſpectu. (VI) Si ſignificator dirigendus *retrogradus* fuerit, & promiſſor in medietate cœli deſcendente verſetur, ſubtrahitur deſcenſio obliqva Promiſſoris, â deſcenſione obliqva Significatoris, qvarum utraqve ad elevationem poli ſupra circulum Poſitionis ejusdem Promiſſoris referri debet. (VII) Promiſſore, ad qvem Significator retrogradus dirigendus eſt, ſub Meridiano verſante, ſubtrahitur A. R. Promiſſoris ab A. R. Significatoris.

Aph. 55. *Directionum doctrinam excipiunt Aſtrologorum de REVOLUTIONIBUS placita*; Eſt igitur Revolutio nihil aliud, præterqvam reditus Solis ad eum Zodiaci locum, qvem tempore genituræ occupavit; Et qvia homo hoc tempore de novo qvaſi naſcitur, hinc mirum qvantam vim habeat Revolutiônis diſpoſitio, cum & Directionum ſignificationes adjuvare, & impedire qveat, ut adeo thema Revolutionis omnino con-

conferendum ſit, cum Directione, in idem tempus incidente. Qvod ſi enim thema Revolutionis cum Directione congruerit, hoc eſt, ſi malæ Directioni reſponderit etiam mala Revolutio, ita ut eorum planetarum, qvorum eſt Directio mala, etiam mala ſit & debilis conſtitutio in themate Revolutionis, effectus malæ Directionis potisſimum in eum annum incidit. Eôdem modô ſi bona fuerit Directio & in themate Revolutionis qvoqve benè conſtituantur iidem Planetæ, qvorum eſt Directio bona, effectus Directionis in eundem annum incidet. Qvod ſi revolutio non congruerit cum Directione ſui anni, tunc effectus Directionis aut remiſſior erit & obſcurior, aut in ſeqventes annos differetur, donec ei Revolutio, qvalitate ſignificationis conveniens reſpondeat.

Aph. 56. *Revolutionum Solis annuarum tempus ita determinari, atq; ad idem faciem cœli repræſentari poteris:* Ephemeris dato Revolutionis anno congrua conſulatur, videaturqve an ad diem na-

talem locus Solis, qvem tempore genituræ obtinuit, exactè reſpondeat? Qvod ſi non fiat, agatur hoc modo: ponantur *primô* locô, locus proxime major & proxime minor, qvam eſt datus: *ſecundô* dies, locis iſtis reſpondentes, *tertiô* verò locô pônatur locus Radicis cognitus, eidemqve proximè minor denuo ſubjiciatur. Subtractis deinde numeris â ſe invicem, & *regula de tri* rite adhibitâ, qvartus proportionalis numerus exhibebit horas & minuta, qvibus additis ad diem proximè minorem, tempus Revolutionis exactè inventum erit, ad qvod Faciem Cœli repræſentare per antecedentia in facile erit.

Aph. 57. Cum Directiones annum, qvô certi qvid poſitus cœleſtium ſiderũ Nato, promittat, vel minetur, indicent, ut ſpecialiora cognoſcant Aſtrologi, *Profectiones* & *Tranſitus* obſervare ſolent, non qvod iisdem tam principalem ſignificandi vim, qvam conſignificandi, adſcribant; Qvod ſi enim â Profectionibus unicè eventus ſperandus eſſet, ſpatio

tio XII. annorum Nati conditio in circulum qvaſi rediret, ita ut is, qvi hôc annô ægrotat, duodecimô abſolutô denuò decumberet, ſecus atqve experientia edocet.

Aph. 58. Definiri poſſunt *Profectiones*, qvod ſint motuum hypotheſes Aſtrologicæ, qvibus Significator ſingulis annis unum ſignum abſolvere concipitur, ita ut elapſis XII. annis priſtinum & radicalem locum iterum occupet, unde directionum eventus æſtimari ſolent, aſſignata bonæ directionis ſignificatione, diei profectionis felicis, malæ vero, diei profecti onis in felicis.

Aph. 59. Tabellæ annuarum profectionum ſtructura ita ſe habet: (1.) Annotentur ordine aliqvot, pro lubitu, ætatis annorum dodecades, qvibus ſingulis à dextra adjiciantur anni Chriſti initiô ab eo factô, in qvem incidit genitura. (2) E regione horum annorum Significatores ſcribantur ſinguli, hoc eſt Planetæ & loca, qvæ dirigi ſolent, annotatis gradibus & minutis, in qvibus eadem reperta ſunt. Subjiciantur dein-

Signa

Signa,qvæ Significatores geniture tempore occuparunt,eademqve juxta ſeriem naturalem usqve ad finem continuentur.(3.) Aſpectus, â ſiniſtra, ſignorum ordinibus addantur, ut qvæProfectiones fauſtæ, qvæ infauſtæ ſint, reſpectu radicalis loci,uno intuitu qvaſi appareat.(4) Innoteſcit qvoqve ex eadem tabula, ad qvam domum vel ſignũ &aſpectum radicis,profectio alicujus ſignificatoris,qvôvis annô pertingat.

Aph. 60. Dies certi alicujus menſis, qvô profectio Significatoris ad Promiſſorem pervenit, ê doctrina *Aſtrologorum* cognoſcitur hôc modô : Subtrahe locum Significatoris, à loco Promiſſoris, & relinqvitur diſtantia Significatoris. Pro qvolibet diſtantiæ inventæ *gradu*.12. dies accipe, pro qvibuslibet *minutis qvinqve*,qvæ adhærent gradibus, diem unum. Summa dierum collecta, ſi à Die Natali numeretur,oſtendit diem & menſem, quô profectio ſignificatoris propoſiti,ad promiſſorem,vel ejusdem radium,pervenit.

Aph.

Aph. 61. Ex eadem doctrina innoteſcit, qvis *anni* cujusvis *Dominus* ſit, is enim ab Aſtrologis hôc nomine venit, qvi in ſigno Profectionis Horoſcopi domicilium habet.

Aph. 62. Qvando Planetæ, loca radicalia geniture vel corpore, vel radiis ſuis petunt, tunc per eadem TRANSIRE dicuntur, totaqve hæc doctrina de *Tranſitibus* inſcribitur. Cæterùm tempus tranſituum, ſive felicium, ſive infelicium, ex Ephemeridibus inveniri facile poteſt, cum enim in iisdem, loca planetarum, ad ſingulos dies annotata ſint, nullô ferê, vel exiguô tamen labore, *Tranſituum* tabella, ex iisdem deſcribi & conſtrui poteſt.

Aph. 63. Etſi verò plures Tranſitus numerari poſſent, tres tamen præcipuam vim & ſignificandi facultatem habere dicuntur (1) Planetarum ſingulorum, ſuper gradum Horoſcopi (2) Tranſitus Solis per loca ſingulorũ Planetarũ, atq; etiam medii cœli, Partiũ Fortunæ & Horoſcopi (3) Domini Horoſcopi per eadem loca. Imprimis qvoqve eorum conſideran-

rantur Significatorum tranſitus, qvorum eſt facta Directio, eô enim menſe & die Directionem efficacem fore pronunciant Aſtrologi, qvo Tranſitus, Directioni ſimilis accidit.

Aph. 64. Tranſituum uſum ampliare nonnulli ſolent, non enim deſunt Autores, qvi tranſituum ope tempus geniturae æſtimatum corrigere ſatagunt. Si enim Natus, caſus, in vita humana occurrentes, diligenter annotaverit, additis annô, menſe, ac die, difficile non erit Tranſituum tempus, hiſce ſignificatis conveniens, ſcrutari, eundemqve gradum, Horoſcopo Radicalis ſchematis inſcribere, qvem vel fauſtus, vel infauſtus Planeta, circa tempus eventus annotati, occupavit.

Aph. 65. Ad doctrinam, de corrigendo Navitatatis tempore, minus accuratè obſervato, pergimus, de qva Cyprianus Leovitius qvoqve poſt verba faciet: Scilicet *non ſolùm Sapientis eſt, ex genitura divinare eventum, ſed etiam ex eventu divinare genituram*, inqvit *Cardanus.* Qvamvis enim tempus Geniturae incerti-

titu-

titudini maximæ plerumqve expoſitum ſit, cum obſtetricum non ſoleat hæc cura eſſe, ut continuò ſolaria conſulant, notent diſtrictè diei articulum, & naſcenti ſuas Stellas, tanqvam Patrimonium, ſervent, uti ille apud *Barclajum* loqvitur, conantur tamen Aſtrologi, in annotando genituræ tempore, commiſſum errorem corrigere, dummodo is nimius non ſit.

Aph. 66. Inter modos, tempus, genituræ corrigêndi, ille qvi per Directiones inſtituitur, reliqvis præſtat, cujus præcepta ita ſe habent: Videatur, an Directio, eôdem tempore, nato, effectum aliqvem, qvem ipſi adſcribendum eſſe, non ex vano Mathematicus putat, promiſerit, qvô eundem expertus eſt.: qvòd ſi enim hoc factum ſit, & adeo tempus, è Directione proveniens, cum tempore, accidentis notato exactè convenerit, facile judicari & colligi poteſt, tempus genituræ aſſumptum ſe rectè habere. Qvod ſi verò Directio alium annum accidentis cujusdam futurum monſtret, aliô verò idem Natus expertus ſit, tem-

pus

pus aſſumtum, per omnia legitimum non erit, qvin potius ſi Directio major ſit, nativitatem ſeriùs eſſe factam, qvam figura æſtimata oſtendit, minor verò eandem citius eſſe factam, indicabitur.

Aph.67. Ut innoteſcat tibi, qvid tempori æſtimato, vel addendum, vel demendum ſit, qvære, per ſubtractionem, differentiam, inter Directionem inventam & inter tempus accidentis aſſignati, eandemqve differentiam in gradus & minuta converte, aſſumendo pro annno integro gradum, pro ſingulis vero diebus ſex, unum minutum. Porro, qvæ exinde emergit graduũ & ſcrupulorum ſumma, eandem, pro exceſſu Directionis, ſubtrahe, pro defectu, adde ad A.R.X. vel obliqvam primæ, ut habeas earundem domuum Aſcenſionem Rectam, vel obliqvam accuratam.

Aph.68. Ut ipſum tempus, & conſeqventer reliqvæ qvoq; cuſpides rite corrigit qveant, notabis, differentiam Aſcenſionum thematis æſtimati & per Directionem correcti, in tempus mutari, hoc modô, ut dicam. 1. Grad. dat 4. minuta

nuta horaria, qvid dabit differentia Aſcenſionum, vel Rectarum, vel obliqvarum? Eademqve differentia, convenienter tempori æſtimato collata, tandem manifeſtabit tempus genituræ correctũ. Cæterum qvia ex ſententia Aſtrologorum effectus Directionum ſæpe differuntur facile exinde patet, judicium exactum & omnium circumſtantiarum accuratam conſiderationem, in Aſtrologo reqviri, itemqve per aliqvot Directiones melius & tutius tempus aſſumptum corrigi, qvam per unicam

Aph. 69. Aliter & per *Trutinam Hermetis*, tempus aſſumptum corrigi dicitur; Scilicet *Hermis Triſmegiſtus*, cujus ætatem & patriam ignoramus hodie, ab Aſtrologis obſervaſſe dicitur, illum gradum cœli horoſcopare, tempore partus, qvem tempore conceptionis, Luna tenuit & vice verſâ. *Ptolemæus* hoc inventum explicat Aphor. LI. Centil. verbis ſeqventibus: *In qvo ſigno*, ait *Luna eſt genituræ tempore, illud in conceptione fac aſcendens. Et in qvo ſigno inventa fuit in conceptione, illud aut ejus oppoſitum*

tum fac aſcendens in partu. Enimverò harmoniam hanc faciei cœleſtis ad tempus genituræ, cum facie cœli ad tempus conceptionis, non eſſe perpetuam & conſtantem, qvin potius Planetarum, tempore conceptionis, poſitus diſſimiles, diſſimilia partus tempora prægnanti decernere, *Origanus*, *Cardanus*, & alii fatentur. Unde *Dn. Abdias Tervv* in Nucleo Aſtrol.Corr. cap.V. Trutinam hanc, ut fallacem, prorſus rejicit & perſvaſus eſt, ſi ſignum Lunæ conceptionis tempore in Schemate genituræ aliqvando horoſcopet, id non niſi per accidens fieri.

Aph. 70. Modus inveniendi tempus conceptionis Nati & exinde tempus Nativitatis corrigendi, ex Aſtrologorum, qvi hâc methodô delectantur, ſententia, ita ſe habet (1.) E facie cœli, qvam tempore genituræ obtinuiſſe æſtimatur, diſtantia Lunæ ab angulo Orientis, ſi Luna ſub terra, vel ab angulo Occidentis, ſi ſupra terram fuerit, inveſtiganda eſt, ſubtrahendo ſigna & gradus angulorum, à ſignis & gradibus loci Lunæ, aſſum-

ſumptô etiam integro circulô, ſi ſubtractio alias fieri neqveat. (2) Cum diſtantia hac inveſtigata conſulatur tabula, qvæ manſionis fætus in utero vocatur, ſignis enim & gradibus in latere ſiniſtro acceptis, ê regione dies reſpondentes, absqve ullo negotio, excerpuntur. (3) Videatur, qvotnam in menſium tabula menſi, genituram præcedenti, adeoqve completo, reſpondeant dies, iisdemq; excerptis, adjiciatur numerus diei, qvô genitura contigit, provenient dies ab initio anni, usq; ad nativitatis tempus, elapſi. (4) Ab hac ipſa dierum ſumma dies manſionis nati in utero antea inventi auferantur, aſſumptâ integri anni qvantitate, ſi opus eſt. Reſiduum enim exhibebit diem anni, à Kalendis Januarii numeratum, qvô conceptiô facta eſt. Menſem vero ipſum ejusdem diem nullo negotio invenies, ſi cum numero dierum conſuleris tabulam menſium, eodemqve non præciſe ibi invento, proxime minorem repertum ſubtraxeris à ſumma data, qvod enim remanſerit, determinabit diem menſis ſeqventis & ad-

eò

eo ipſum uſuale conceptionis tempus. (5) Cum die hoc conceptionis ingredere Ephemeridem legitimam, atqve ex eadem locum lunæ ad meridiem ejusdem diei addiſce. Qvod ſi enim punctum horoſcopans genituræ tempore deprehenderis non ultra 13.Gr. diſcrepans â loco Lunæ, dies conceptionis rite aſſumptus erit. (6) Qvod ſi verò differentia inter Horoſcopum genituræ æſtimatum & locum Lunæ inventum, major ſit 13.Gr. indicium id erit, vel â maleficis aſpectibus exitum Nati eſſe impeditum, vel â beneficis acceleratum. Illud qvidem, ſi juſto tardius, hoc verò ſi juſto citius in lucem prodiit. Atqve ideo qvoqve tum accipiendus eſt vel dies ſeqvens, ſi Luna Horoſcopum ſuperaverit, vel præcedens, ſi Horoſcopus Lunam exceſſerit. (7) Aſcenſionē Rectam ☉ ad meridiem veri cōceptionis diei inveſtiga, eidēq; 90. Gr. adde, qvo â ♑ deducta intelligatur, vel collige Aſcenſionem ad gradus datos & ſubtrahe poſtea ab ea Aſcenſionem Rectam nulli gradui ♑ reſpondentem, aſſumtô integrô circulô, ſi alias ſubtractio

fieri

fieri non poſſet. Hæc verô Aſcenſio Recta ☉ ſubtrahenda eſt ab A. O. ☽ ab ♈ deducta & tempori geniture æſtimato competente; Reſiduum enim in tempus converſum, ipſam conceptionis horam patefaciet.(8) Ad tempus hoc, reductum tamen prius & æqvatum, facies Cœli, modô ſuperius traditô, repræſentari facillimè poterit. Qvâ deſcriptâ & delineatâ locus Lunæ Horoſcopo genituræ imponatur, atqve tempus eâdem methodo, qvâ in emendatione temporis, per Directiones, uſi ſumus, corrigatur &c.

Tabula manſionis in utero.

Sig.	o.	*Luna ſub terra ab aſc.*	*Luna ſupra terram ab hoc.*
0.	0.	273.	258.
0.	12.	274.	259.
0.	24.	275.	260.
1.	6.	276.	261.
1.	18.	277.	262.
2.	0.	278.	263.
2.	12.	279.	264.
2.	24.	280.	265.

Sig. o.	*Luna ſub terra ab aſc.*	*Luna ſupra terram ab hoc.*
3. 6.	281.	266.
3. 18.	282.	267.
4. 0.	283.	268.
4. 12.	284.	269.
4. 24.	285.	270.
5. 6.	286.	271.
5. 18	287.	272.
6. 0.	288.	273.

Tabula menſium in Anno

	Comm.	*Biſſext.*
Januarius	31.	31.
Februarius	59.	60.
Martius	90.	91.
Aprilis.	120.	121.
Majus	151.	152.
Junius	181.	182.
Julius	212.	213.
Auguſtus	243.	244.
September	273.	274.
October	304.	305.
November	334.	335.
December	365.	366.

Aph.

Aph. 71. Reſtat tertius, tempus Genituræ æſtimatum corrigendi, modus qvem ANIMODAR vulgò vocant; Sicuti enim tota Aſtrologia fere Chaldæis & Arabibus accepta ferenda eſt, ita & multa vocabula peregrina, qvæ iſtarum regionum incolis originem debent, in uſu communi retinentur. Ad harum vocum catalogum merito refertur præſens qvoqve Aſtrologicus terminus. Vocant verò *Animodar* planetam, qvi tempore vel Plenilunii, vel Novilunii, Nativitati proximioris, plures habet fortitudines & prærogativas, unde poteſtatem ſibi vendicat, conſtituendi vel Horoſcopum, vel medium cœli tempore Nativitatis, ita ut tot gradus & minuta ſint in I. vel X. qvot habet *Animodar.* Præſtat ipſum principem Aſtrologrum, *Ptolomæum* de hac re audire. Ita enim ille lib, 3. de prædictionibus Aſtronomicis (cui libro titulum fecerunt *quadripartitum* c. 2. *Poſita hora natalitia, inventa per aſcenſiones, adjunge conjunctionem aut oppoſitionem proximè præcedentem. Et diligenter qvære gradum ſeu conjunctio-*

nis, ſeu in oppoſitione ejus luminis, quod ſupra terram eſt, cum editur partus. Deinde videndum, quis Planeta ſit dominator illius gradus, juxta eas prærogativas quas ſupra commemoravimus; Videlicet trigonum, domum, exaltationem, fines fulgorem aut configurationem, hoc eſt quando gradus ille unam aut plures prærogativas habet propter quas ei attribuendus ſit dominator. Cum igitur Planetam aliquem reperimus, familiarem illi gradui propter unam; aut plures prærogativas, videndum eſt deinde, quem gradum tenuerit Planeta, partus tempore: & quotus gradus erit, judicabimus parem gradum in exortu aſcendentis ſigni aſcendere. Sin autem duo aut plures participes ſint dominationis, ille eligẽdus erit, cujus gradus, tempore partus propius acceſſerit ad gradum ſigni aſcendentis, ad hujus planetæ gradum aſcendens conſtituendum erit. Si vero duo aut plures planetæ in hac propinquitate pares erunt, eligemus eum, qui propter cardines & conditionem familiarior eſt aſcendenti; Cum autem longius diſtant gradus hujus dominatoris ab Horoſcopo, quam à medio

dio cœli, utemur eô numerô ad conſtituendum medium cœli. Hoc conſtituto & reliqvos cardines mutabimus. Hactenus *Ptolemæus.*

Hæc ſunt, qvæ noſtris verbis, ex Aſtrologorum mente, proponere placuit. JUDICIUM ipſum ASTROLOGICUM, ê CYPRIANO LEOVITIO, *præſtantiſſmo in his rebus artifice, proponemus. Elegimus autem hunc Scriptorem & Aſtrologica ejus, obſoleto Ephemeridum operi inſerta, publicamus, qvod experientiâ & modeſtiâ, præ reliquis, excellere videatur. Fuit enim Electoris Palatini ad Rhenum,*

*O*TTONIS *H*ENRICI, *Mathematicus, & Aſtrologicis prædictionibus, atq; his inſervientibus ſupputationibus, ſolummodò ille, per multos annos, operam dedit, fatô demum functus Lavingæ, annô 1574. Meminit ejusdem* TYCHO BRAHE *Aſtronomiæ Inſtauratæ part. 1. p. 707. ut Aſtrologicis vaticinationibus impenſiùs addicti, qvibus totam penè ætatem contriverat, & multa in his magnâ curâ & diligentiâ, præ aliis quibusdam Aſtrologaſtris præſtiterat, quamvis & de e-*

jus

jus Aſtrologia, in qvibusdam ſaltem capitibus, Tychonicum illud Epiphonema verum ſit: pari fermè eam, cum pictura, atqve Poeſi, in figmentis, libertate frui.

Seqvitur igitur.

CYPRIANI LEOVITII

DOCTRINA DE JUDICIIS NATIVITATUM, EA METHODO TRADITA, UT OMNIUM THEMATUM CONSIDERATIONIBUS ACCOMMODARI POSSIT.

§. *I.*

DUæ ſunt velut Partes doctrinæ Genethliacæ: qvarum prior docet certam rationem ad ſingula momenta temporis conformandi figuras cœli, qvæ in 12. ſpatia diſtinctæ totius cœli, & præcipuorum corporum cœleſtium ſitum, infra ſupraqve terram, mutuum,

congreſſum ac προσχηματισμοὺς ob oculos, velut in tabella, ponunt.

§. 2. Altera μαντικὴ ſeu divinatrix, qvæ ex cœli & ſyderum conſtitutione, motu, congreſſu & mutuis inter ſe configurationibus certos effectus & ſignificationes de ingeniis, inclinationibus, ſeu temperamentis, de valetudine corporum, de humorum redundantia aut defectu & aliis multis eventibus, & caſibus, ad valetudinem & rem familiarem tuendam utiles & propè neceſſarias, prudenter eruit & ratiocinatur. Hæc priori parte tanqvam fundamento innititur. Non enim, niſi cognito cœli ac ſyderum poſitu, judicia Genethliaca certa conſtitui ac proferri poſſunt.

§. 3. Etſi autem qvædam varietas opinionum eſt de ratione conſtituendi figuras cœli, qvam in his elementis propter brevitatem diſputare nolo, tamen non dubium eſt *Regiomontani* modum, qvem nos ubiq; ſeqvimur, eò qvod ex ſinuum doctrina extructus ſit & Geometricis rationibus nitatur, plus qvam reliqvos omnes, & certitudinis & doctrinæ habe-

re.

re. Et acqvieverunt in eo longo jam tempore acerrimi judicii Aſtrologi. Præterea ita illuſtratus eſt tabulis, ex aſcenſionum varietate compoſitis, ut mira facilitate, inde omnium domorum initia, per locum Solis deſumantur.

§. 4. Sed cum diligens conſideratio nativitatum omnino exactam & certam gradus aſcendentis cognitionem reqvirat, & ſæpè de hac prima & præcipuâ parte, videlicet de momento, qvô infans ex utero matris egreſſus eſt, dubitetur, præſertim ubi id non fuerit obſervatum inſtrumentô aliqvô Geometricô; ſumpta interdiu altitudine Solis, vel noctu ſtellæ alicujus. Nam horologia qvia aut ab imperitis negligenter reguntur, aut caſu cohibentur, ac ſubſiſtunt interdum, ſæpiſſimè fallunt. Ideò multos etiam ex vetuſtiſſimis exercuit hæc cura, qva ratione qvam proxime ad verum horoſcopi gradum perveniri poſſet.

§. 5. Tres autem præcipuæ rationes extant rectificandi, ſeu corrigendi gradum aſcendentis. *Prima* qvæ recitatur

apud *Ptolemaum*, l. 3. prædictionum Aſtrologicarum; per *Animodar* ut vocant, hoc eſt planetam, qui in gradu conjunctionis vel oppoſitionis luminarium proximè nativitatem antecedentis dominator, vel ut *Ptolemaus* loquitur, οἰκοδεσπότης eſt.

§. 6. Meminerunt hujus rectificationis præter Ptolemæum plurimi alii Aſtrologi: *Alcabitius* diff. 4. *Abrahamus* Judæus in principio libelli ſui de nativitatibus. *Antonius de Montulmo & Schonerus*. Ex peregrinis *Meſſahala* antiqviſſimus, rerum Aſtrologicarum ſcriptor, item *Omar*, *Abenezra* & alii.

§. 7. *Secunda* ratio eſt Arabum, qui per conceptionem, ſeu minuta moræ fœtus in utero rectificant aſcendentem gradum, qvi modus vulgo appellatur *trutina Hermetis*, eò qvod Hermes antiqviſſimus Aſtrologus hunc creditur tradidiſſe. Exponit eum copioſè & diligenter *Jovianus Pontanus* in commentariis LI. propoſitionis centiloquii, qvod Ptolomæo adſcribitur: Et *Schonerus* lib. 1. de judiciis nativitatum.

§. 8. Has

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

§. 8. Has rationes ſi qvis ſeqvi velit, videat tamen ne nimium tribuat illis rectificationibus, qvarum tempora nimis procul ab æſtimato tempore recedunt, ſed in eo caſu præferat certam obſtetricum relationem, his correctionibus dubiis.

§. 9. Ubi verò tempus ex obſervatione altitudinis Solis, aut Stellæ alicujus, per inſtrumenta Geometrica annotatum eſt, nullâ opus eſt deinceps correctione.

§ 10. *Tertia* ratio fit per *accidentia nati* bona, vel mala: Hanc experientia teſtatur eſſe certam & omnino eſt conſentanea rationi. Ideoqve ego eam in rectificando ſemper ſeqvor. Neqve tamen qvenqvam invitum à *Ptolomæi* ratione abducere velim, præſertim cum ſit facilior, qvam directionum doctrina, ſed per me liberum erit cuivis & in hac parte & in ſequentibus qvoqve ſeqvi, quam velit viam. Me ſatis graves cauſæ commoverunt & coëgerunt, ut interdum â communi ratione recede-

rem nónihil, qvas in opere noſtro aſtrologico exponemus.

§.11.Tres autem ſunt modi rectificandi gradum horoſcopi, per accidentia corporis bona vel mala.

1.*Per directiones horoſcopi ad ſuos promiſſores.*

2. *Per profectiones gradus horoſcopi ad ſuos promiſſores.*

3. *Per tranſitus planetarum ſuper gradum Horoſcopi.*

Harum rationem commodiſſima & certiſſima eſt prima,qvæ fit per directiones. Accidit autem ſæpius, ut illæ tres viæ, prorſus congruant & eundem horoſcopi gradum producant, idqve omnium eſt certiſſimum examen, propter tot teſtimoniorum congruentiam & conſenſum.

Qvod ſi diſcrepant inter ſe directiones, profectiones & tranſitus in graduum numero,plus autoritatis & fidei debetur directionibus, qvam reliqvis modis.

DE

DE DIRECTIONI-BUS GRADUS HOROSCOPI AD SUOS PROMISSORES.

§.12. Examinaturus igitur gradum aſcendentis per directiones, habeas annotata ordine qvam plurima accidentia nati bona & adverſa, adjectô ſingulis tempore talis eventus, hoc eſt anno menſe, & ſi fieri poteſt, etiam die, & conſidera, an circa id tempus horoſcopus pervenerit ad aliqvem promiſſorem, qvi ſignificet tale accidens. Qvod ſi ſic inveneris ſe habere tempus æſtimatum, erit omnino verum momentum editi infantis.

§.13. Sin minus, hoc eſt, ſi horoſcopus pec directiones ante vel poſt promiſſorem talem conſtiterit, tum æſtimatum tempus erit falſum, & hoc modo corrigendum. Ab aſcenſione obliqva promiſſoris, ad latitudinem civitatis propoſitæ ſubtrahe tot gradus, qvot anni completi ſunt â tempore nativitatis usq; in diem Accidentis, & pro qvibuslibet ſex diebus completis 1. minut, ſub-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

trahe. Qvod poſt ſubtractionem relinqvitur, erit aſcenſio obliqva horoſcopi vera, cui poſtea arcum Eclipticæ congruentem ſi extraxeris, habebis verum gradum aſcendentis.

§. 14. Hoc monebo, in rectificatione per directiones, commodius eſſe, ſi qvis qvam plurima accidentia habere poſſit, annorum, ordine ſuccedentium. Cum enim multi promiſſores ſint & benigni & maligni, ſeqvitur etiam multa accidentia nato evenire, ratione eorum promiſſorum. Et qvemadmodum ſignificatorum directiones ad ſuos promiſſores pulchro ordine ſibi ſuccedunt, ratione propinqvitatis aut diſtantiæ mutuæ: ita his ordine oportet reſpondere accidentia nati, pro qvalitate tamen promiſſorum. Et hæc conſideratio profectò jucundiſſima & liberali ingenio digniſſima eſt.

DE PROFECTIONIBUS GRADUS HOROSCOPI AD SUOS PROMISSORES.

§. 15. Datô tempore, hoc eſt annô, menſe

menſe & die alicujus accidentis (nam hæc omnia hoc loco ſunt neceſſariâ magis, qvam in directionibus qvæ tantum generalia tempora, hoc eſt annos & annorum qvadrantes reqvirunt) conſidera, an circa id tempus profectio gradus horoſcopi ad promiſſorem, qvi ei accidenti convenit, pervenerit.

§.16. Qvod ſi eò ipſo die eô pervenerit, tempus æſtimatum verum eſt momentum nativitatis factæ.

§.17. Si non pervenerit eò, falſum eſt tempus æſtimatum, & corrigatur hôc modô Numera dies, qvi intermedii ſunt, inter nativitatis & Accidentis diem, eô annô, qvo contigit illud accidens, & hos per 6. multiplica, multiplicatos divide per 72. Et productum diviſionis oſtendet gradus, reſiduum vero poſt diviſionem factam Minuta. Hi gradus & hæc minuta ſi ſubtrahantur â loco promiſſoris, verum gradum & minutum horoſcopi producunt.

DE

DE TRANSITU
PLANETARUM SUPRA GRADUM ASCENDENTIS.

§. 18. Datô eôdem modô, ut ſupra, tempore alicujus accidentis in annis, menſibus & diebus vide in Ephemeridibus, utrum eô ipsô tempore Planeta, cui ſignificatio talis accidentis competit, tranſeat gradum Horoſcopi, aut aliqvo aſpectu eum irradiet: Qvod ſi fiet, gradum & minutum ejus planetæ verum aſcendens nativitatis eſſe ſcias.

DE FORTITUDINE
ET DEBILITATE PLANETARUM.

§. 19. Admodum neceſſaria & utilis eſt in tota judiciorum doctrina hæc admonitio, de planetarum fortitudine, hoc eſt, in qvibus cœli locis & qvomodo conſtituti ſuos naturales effectus vehementius exerant; & rurſus qvando & ubi ſint imbecilliores. Qvotiescunqve enim aliqvid de nati conditionibus, utpote

e de vita, dignitate, conjugio aut ſimi-
us pronunciandum eſt, inſpiciendi
it certi loci, qvos uſitatè appellamus
gnificatores, ac juxta eorum conſtitu-
nem, mutuam convenientiam, in e-
sdem eventus ſignificatione, naturam,
ſitum, in mundo & in themate, mo-
im, & cum aliis benignis, vel malignis
ellis congreſſum, & configurationem,
idicia de propoſita qværſtione ſunt fe-
enda. Hæc conſiderantur 1. in planetis,
leinde in partibus fortunæ, poſtremò
tiam in locis ſeu domibus figuræ cœ-
leſtis.

In planetis præcipuè ſunt expenden-
da ſex accidentia.

1. An planeta ſit combuſtus, nec ne?
2. An ſit directus & velox, vel retro-
gradus, aut tardus?
3. An ſit orientalis vel occidentalis?
4. An ſit in aliqva ſuarum dignitatum
eſſentialium, vel peregrinus, cadens aut
in detrimento ſuo?
5. An ſit beneficis planetis benignô a-
ſpectu configuratus, aut maleficis ini-
micis.

6. Qvo-

6. Qvomodo ſit conſtitutus in figura nativitatis, num in angulo, ſuccedente, vel cadente ab angulis domo?

Hæc planetarum accidentia propter teſtimoniorum collectionem commodius numeris diſtinguuntur hoc modo.

I. FORTITUDINES

1. Liber à combuſtione & radiis Solis *accipit teſtimonia.* - 5.
2. In Cazimo ſive corde Solis, intra 16. min. - - - - - 5.
3. Directus. - - - - - 4.
4. Orientalis è tribus Superioribus - 2.
5. Occidentalis è duobus inferioribus - - - - - 2.

Hæc in Sole non conſiderantur, & directione ne in Luna qvidem.

6. Luna aucta lumine à ☌ ad ☍ - 2.
7. In domicilio, aut receptione mutua - - - 5.
8. Velox curſu - - - 2.
9. In Exaltatione ſua, vel recceptione ex exaltation. - - 4.
10. In Triplicitate ſua - - 3.

11. In.

11. In Termino - - - 2.
12. In Facie - - - 1.
13. In I. vel X. Domo - - 5.
14. In VII. IV. XI. - - 4.
15. In II. & V. - - - 3.
16. In IX. - - - 2.
17. In III. - - - 1.
18. ☌ ♃ vel ♀ partilis - - 5.
19. ☌ ☊ - - - 3.
20. △ ♃ vel ♀ - - 4.
21. ⚹ ♃ aut ♀ - - 3.
22. ☌ cum Regulo intra 5. Grad. 6.
23. ☌ cum Spica virginis intra 5 Gr. 5.

II. DEBILITATES.

1. Combuſtus accipit teſtim. 5.
2. Sub radiis ☉ - - 4.
3. Retrogradus - - 5.
4. Occidentalis ê tribus Super. 2.
5. Orientalis ê duobus inferioribus 2.
6. Luna diminuta lumine ab ☍ ad ☌ 2.
7. In detrimento - - 5.
8. Tardus - - - 2.
9. In caſu - - - 4.
10. Peregrinus - - - 5.
11. In domo XII. - - - 5.

12. In

12. In domô VIII. vel VI - 4.
13. ☌ ♄ vel ♂ partilis - - 5.
14. ☌ ☋ - - - 3.
15. ☍ ♄ vel ♂ - , 4.
16. □ ♄ vel ♂ - - 3.
17. ☌ cum capite Algol. - 4.

§ 20. Examinaturus itaqve Planetæ alicujus fortitudinem aut debilitatem, collige ejus accidentia, ſecundum hos numeros, utra vicerint teſtimoniorum numero, ab iis planeta, vel *fortis*, vel *debilis* cenſebitur. Cum fortitudines & debilitates pares fuerint, numerô teſtimoniorum, *mediocris* Planeta dicetur. Ac qvo major teſtimoniorum ſeu commodorum numerus fuerit, eo fortior planeta judicabitur, & contra.

DE FORTITUDINE
AC DEBILITATE PARTIS FORTUNÆ.

§.21. Partem fortunæ *Ptolomæus* non minus, qvam Planetam aliqvem conſiderat, hoc tamen obſervando, qvod ei non tribuuntur aſpectus, niſi qvatenus â Planetis aſpicitur, qvia eſt tantum locus

cœli, in qvo Solis & Lunæ radii con-
runt. Ejus fortitudines & debilita-
qvoqve diligenter examinandæ ſunt,
æ ſumuntur primum â ſignis, in qvi-
s conſtituitur. Deinde ab aſpectibus
netarum. Tertiò â loco figuræ cœle-
s. Qvartò â ſtellis fixis regiis &c. Di-
nguuntur autem numeris ſuis hoc pa-
o.

Fortitudines partis for-tunæ â

Signo ♉ vel ♈ teſtim. - -	5.
♎ ♐ ♌ ♋ - -	4.
♊ - - -	3.
♍ in finibus ♃ vel ♀ -	2.
Aſpectu ☌ ♃ vel ♀ - -	5.
☌ ☊ - - -	3.
△ ♃ vel ♀ - - -	4.
✱ ♃ vel ♀ - - -	3.
Domo I vel X. - -	5.
VII. IV. XI. - -	4.
II. V. - - -	3.
IX. - - -	2.
III. - - -	1.
☌ cum Regulo - - -	6.

Spica

Spica ♍ - - -	5.
Non combuſta nec ſub radiis ☉.	5.

Debilitatis partis fortunæ in

Signo ♏ vel ♑ vel ♒ teſtim.	5.
☌ ♄ vel ♂ - - -	5.
☌ ☋ - - -	3.
☍ ♄ vel ♂ - -	4.
□ ♄ vel ♂ - - -	3.
In finibus ♄ vel ♂ - -	2.
domo XI. - -	5.
domo VIII. vel, VI. -	4.
☌ cum Algol - -	4.
Combuſta - -	5.
Sub radiis ☉. - -	4.

§. 22. Eadem prorſus ratione fortitudines ac debilitates ſingularum domorum cœleſtium examinandæ ſunt, ut partis fortunæ. Hoc tantùm obſervandum eſt ſimul etiam in judicium adhiberi oportere ſigna in domibus intercepta. Reliqva omnia ſunt facilia, neqve opus prolixiore explicatione.

DE VITÆ SPATIO.

§. 23. Hæc conſideratio de vitæ ſpa-

tio prima eſſet ſolet. Ridiculum enim foret aſſeverare aliqvid de divitiis, conjugio, liberis, vel honoribus nati, qvi non perventurus ſit ad ætatem congruentem illis actionibus.

§.24 Diverſæ autem & diſcrepantes opiniones ſunt Aſtrologorum de hac conſideratione, utpote ardua, difficili, ac non temerè facienda. Arabes vitæ ſpatium eliciunt ex *Alcocodæo*, hoc eſt, diſpoſitore loci hyleh. *Ptolomæus* ex directione hyleh ad loca interficientia. Ego ſemper ferè ſoleo gradum horoſcopi dirigere, ſecundum ſignorum ac graduum ordinem, ad loca interficientia, hôc eſt, ad planetas malignos, vel eorum hoſtiles radios. Neqve verò tantum malignorum, ſed etiam cujusvis alterius planetæ radius inimicus interficit, modo occurſus directionis, in termino ejus planetæ contingat, qvi in radice ſignificationem mortis habet. Significationem mortis autem is planeta habere dicitur.

1. Qvi octavam domum poſſidet, aut ei domui imperat.

2. Qvi

2. Qvi gubernatori octavæ domus jungitur.

3. Qvi locum planetæ, octavam domum poſſidentis, aut eidem dominantis diſponit.

Sed ex his primus validior eſt: reliqui duo imbecilliores eſſe judicantur.

§. 25. Soleo præterea pro annis fatalibus aſcendens dirigere, non tantum ad corpora planetarum nocuorum, aut eorum inimicos aſpectus, & qvæ his accedunt; Verum etiam ad alia loca interficientia, hoc eſt, ad terminos maleficorum Planetarum, vel eorum, qvi in octava domo verſantur, aut eidem imperant.

§. 26. Cum igitur id evenerit, ut horoſcopus ad aliqvem dictorum locorum qvi interficiunt, per directiones, certô qvopiam annô devolvatur, fatalis erit annus ille nato. Hinc ſeqvitur, poſſe plurimos annos eſſe fatales, ſi qvidem horoſcopus ad plurima loca interficientia pervenire poteſt, qvorum annorum ille tamen maximè periculoſus cenſeri debet, qvi pendet â

promiſ-

promiſſore, in revolutione cognationem cum domo mortis, aut domino ejus habente, qvod tribus illis rationibus, qvas modo expoſuimus, deprehendi poteſt.

DE NATIS QVI NUTRIRI NON POSSUNT, SED MOX EXTINGUUNTUR.

§. 27. Qvando directio horoſcopi tempore editi infantis, eſt in termino malefici planetæ, aut in termino domini mortis (ita tamen ut ille ſit in figura nativitatis debilis:) aut ſub maligno aſpectu Planetæ, qvi vim interficiendi & cognationem cum domo mortis habet, natus non nutrietur, hujus obſervationis plurima exempla ſunt.

§. 28. Qvæ verò de vitæ ſpatio & numero annorum nati, conſiderationes ſumuntur ex poſitu corporum cœleſtium, etſi multorum riſu ac cachinnis excipiantur, pleriqve etiam de ea re prædictiones fieri poſſe negent: tamen veterem hanc eſſe doctrinam ex *Ptolemæo*

D &

& aliis multo antiqvioribus ſcriptoribus apparet, & experientiam reſpondere, ſi qvis eam recte ad uſum accommodet, multorum exemplis veteris & noſtræ ætatis conſtat. Proinde nos arte & experientia contenti, nihil moramur iſtorum præpoſtera judicia.

DE DOMINO GENITURÆ.

§. 28. Variæ ſunt Aſtrologorum opiniones, de ratione eligendi dominum nativitatis, qvarum qvæ certior ſit, & Phyſicis ac Aſtrologicis rationibns magis firmata, hôc locô non diſputabo, ſed præcipuas ita reſenſebo, ut per me cuiqve liberrimum futurum ſit ſeqvi, qvam velit qvisqve libentius; *Firmicus*, qvi apud Latinos ſolus aſtrologicas prædictiones conſcripſit, ex veteribus, qvi ad noſtram ætatem pervenerunt, pronunciat eum Planetam genituræ dominum, qvi præeſt ſigno, qvod luna proximè poſt nativitatem ingreditur, Leone & Cancro exceptis, qvibus luminaria præſunt: Exempli cauſa. Si Luna tempore alicu-

cujus nativitatis ſit in Scorpione, do-
nus nativitatis erit Jupiter, qvia Lu-
proxime ex Scorpione in Sagittari-
ı tranſit, cujus ſigni dominus eſt Ju-
er.

Hic modus eligendi dominum nati-
atis facilis qvidem eſt, ſed qvam fir-
s rationibus nitatur, aliorum eſto ju-
:ium.

§. 29. Nonnulli dominum genituræ
m cenſent, qvi præcipuas & plurimas
;nitates eſſentiales obtinet, in qvinq;
:is hylegialibus, videlicet loco Solis,
næ, horoſcopi, partis fortunæ, & con-
ıctionis, vel oppoſitionis luminari-
ı, immediatè nativitatem præceden-

§. 30. Cui hæc ratio placet, is eam
terit ſeqvi: neq; ego reprehendo eam.
ta hæc eſt ratio, & hunc planetam
æficio dominio genituræ, qvi & reſpe-
ı eſſentialis dignitatis & ſimul loci
:leſtis eſt potentior. Qvod ſi alteru-
ım tantum uni alicui planetæ accide-
:, ut ſit qvidem in eſſentiali dignitate,
d tamen non in potenti loco figuræ

 cœle-

cœleſtis, tum neceſſe eſt ei aſſociari alterum qvēdam, qvi reſpectu loci figuræ cœli potentior ſit. Hujus rationis cum alios, cum præcipuè has cauſas habeo, qvod is planeta, qvi ſic conſtitutus eſt in radice & reliqvorum potentiſſimus, non videatur jure merito poſſe ab hac adminiſtratione removeri.

§. 31. Sed luminaria, in propriis domicilis conſtituta, non aſſumuntur ad dominium nativitatis, propter præſtantiam, cum ex iis potiſſimum judicium, de omnibus rebus, pendeat, & ſola dimidium nativitatis, ut Aſtrologi loqvūtur, obtineant.

§. 32. Porro juxta naturam domini nativitatis, generaliter judicatur, de tota vita, moribus & complexione ſeu temperamento corporis nati, qvia in conſtitutione corporis, ſecundum luminaria, præcipuam vim habet dominus genituræ.

DE TEMPERAMENTO SEU COMPLEXIONE CORPORIS.

§. 33. Qvid Phyſici temperamentum ſeu

ſeu complexionem vocent, notum eſt, nempe congenitam mixturam qvatuor primorum & naturalium humorum, ſanguinis, pituitæ flavæ & atræ bilis, & hormoniam horum factam eâ ratione, ut certæ ſpeciei conveniat. Eſtqve magna & multiplex varietas humorum bonorum & vitioſorum in humano corpore, propter parentum temperamenta & propter aſtrorum diverſos poſitus & commixtiones. Sed qvemadmodum ſunt qvatuor principales humores in corporibus animantium, ita qvatuor his reſpondent principales craſes: *Sangvinea*, qvæ eſt calida & humida temperatè. *Phlegmagtica*, qvæ eſt humida & frigida. *Cholerica*, qvæ calida & ſicca. *Melancholica*, qvæ eſt frigida & ſicca.

§. 34. Cognoſcuntur autem hæ qvatuor craſes, ex propriis qvalitatibus & naturis ſignificatorum temperamenti & eorum commixtione, collectis certô ordine teſtimoniis, ſingularum qvalitatum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci, ut paulo poſt copioſius exponemus.

§. 35. Porrô ſignificatores complexionis ſunt.

Horoſcopus & dominus ejus.

Planeta, vel planetæ in horoſcopo conſtituti, aut eum partiliter aſpicientes, inter qvos caput & cauda Draconis etiam numerantur.

Luna.

Planetæ Lunam aſpicientes medietate ſuorum orbium..

Qvarta anni, vel ſignum Solis.

Dominus geniture.

Horum ſignificatorum & ſignorum, in qvibus ſignificatores hi conſtituuntur, qvalitas ordine examinetur, juxta ſeqventem doctrinam.

§. 36. Memineris tamen, qvod Saturnus, Mars, vel cauda Draconis, aſpicientes horoſcopum, vel Lunam maligno aſpectu, ſuas qvalitates intemperatas permiſceant temperamento corporis, etiamſi reliqva omnia bene ſe habeant.

QVALITATES PLANETARUM.

♄ { *Orientalis* frigidus & humidus.
Occidentalis ſiccus

Orien-

♃ { *Orientalis* calidus & humidus
Occidentalis humidus

♂ { *Orientalis* calidus & ſiccus
Occidentalis ſiccus

♀ { *Orientalis* calida & humida
Occidentalis humida

☿ { *Orientalis* calidus
Occidentalis ſiccus eſt.

LUMINARIUM
QVALITATES MAJOREM VICISSITUDINEM SUBEUNT.

LUNA à

☌ *usq; ad Imam* □ calida & humida eſt.
Prima □ *ad* ☍ calida & ſicca.
☍ *usq; ad 2dam* □ frigida & ſicca.
IIda □ *ad* ☌ frigida & humida.
♌ naturæ ♃ & ♀ eſt, ♑ naturæ ♄ & ♂.

SOL cenſetur in Signis

Vernalibus, calidus & humidus.
Æſtivis, calidus & ſiccus.
Autumnalibus, frigidus & ſiccus.
Hybernis, frigidus & humidus.

SIGNORUM QVALITATES JUXTA TRIGONORUM NATURAM DISTINGUUNTUR.

♈ ♌ ♐	trigono eſt	Calidus & ſiccus	id eſt	*Cholericus.*
♉ ♍ ♑		frigidus & ſiccus		*Melancholicus*
♊ ♒ ♎		calidus & humidus		*Sangvineus.*
♋ ♏ ♓		frigidus & humidus.		*Phlegmaticus*

REGULA DE JUDICIO COMPLEXIONIS.

§. 35. Conſidera, ut jam dixi, qvalitatis ſignificatorum ac ſignorum,& collige teſtimonia ſingularum qvatuor qvalitatum, calidi, humidi, frigidi & ſicci,& ſecundum vincentium teſtimoniorum numerum, judica de complexione. Nam ſi calor & humor reliqvas qvalitates, teſtimoniorum numerô ſuperaverint, natus erit *ſangvineæ* complexionis: Sin humor & frigus, *Phlegmaticæ*. Qvod ſi calor & ſiccitas vice-

rint

rint, natus erit *Cholericus*. Si frigus & ſiccitas, *Melancholicus*.

ADMONITIO DE COLLECTIONE TESTIMONIORUM.

§. 38. In collectione teſtimoniorum qvatuor qvalitatum, caloris, humoris, frigoris & ſiccitatis, vide ut cautè verſeris. Fieri n. poteſt, ut qvalitatis planetæ & ſigni, eundem numerum teſtimoniorum ſortiantur, ut ſi unum ſit caloris & unum frigoris teſtimonium: & tum tollunt ſe mutuo in collectione teſtimoniorum, nec adſcribuntur. Qvæ verò non pugnant, ea ſola adſcribuntur. Ita cum idem planeta eſt genituræ & horoſcopi dominus collocatus etiã in Horoſcopo, ter eſt adhibendus in teſtimoniorum collectione. Sic Luna ſi in horoſcopo conſtituta fuerit, bis adhibetur &c.

DE MORIBUS

§. 39. Non dubium eſt temperamenti & inclinationum qvalitatem, mores qvoq; & animi motus. magnamqve par-

tem præcipuarum actionum humanarum & eventuum, in vita comitari, ſicut verè dicitur in veteri verſu *Naturæ ſeqvitur ſemina qvisq; ſuæ*. Ideò in judicio morum retinemus eosdem ſignificatores, qvos ſupra complexioni præfecimus, ſervatô tamen hoc ordine.

§.40. Primùm ſi Planeta aliqvis horoſcopi ſignum, aut illud, qvod intercipitur, occupat, is principalis ſignificator morum erit: particeps autem morum erit ille, qvi in loco ſignificatoris dominium habet.

§.41. Proinde conſidera planetam illum ſignificatorem, cum ſuo diſpoſitore, Nam ſi fuerit beneficus, vel beneficis configuratus, ac potens, decernit laudatos mores, pro natura ſua. Sin maleficus, aut maleficorum inimicis radiis infectus, & debilis, tribuit mores malos & diſtortos, pro ſua natura. Qvod ſi beneficus fuerit natura ſignificator, vel vel beneficis configuratus, ſed debilis, mores qvidem in ſpeciem laudabiles efficit, ſed tamen obſcuros, fucatos aut ſimplices: Malefici potentes, decernunt

nunt qvidem mores bonos, ſed aliqvid veneni ferè ſemper miſcent &, aliqva improbitatis veſtigia imprimunt.

§. 42. Mercurius mores largitur de natura Planetæ, cujus ipſe naturam aſſumit qvod facit duplici modo.

I. Cum jungitur alicui corpore. Qvod ſi pluribus conjungatur, ejus naturam aſſumit, qvi inter omnes eos potentisſſimus eſt, & qvi ei propius collocatur.

II. Si nulli conjunctus fuerit, ejus naturam aſſumit, in cujus eſſentiali dignitate verſatur.

§. 43. *Caput Draconis* æqviparatur conſtitutioni Jovis, ſive fauſta ſit illa ſive infauſta. *Cauda Draconis*, eôdem modô Saturni & Martis. Luminaria in horoſcopo conſtituta, pro natura ſua poſſunt aliqvid diſponere, ſed valde generaliter: magis vero pro natura ſuorum diſpoſitorum. Eadem eſt ratio Mercurii, cum luminarium naturam aſſumit. Qvod ſi luminaria nullos diſpoſitores habuerint, ut cum in propriis domiciliis verſantur, propter valde generalem ſigni-

ficationem eorum, adhibendi erunt reliqvi ſignificatores qvoqve,

I I.

§.44. Si plures Planetæ horoſcopum occupant, omnes erunt ſignificatores, & morum varietatem efficient. Sed Planeta inter eos fortiſſimos largitur mores durabiles & perpetuo manentes: reliqvi minus durabiles, & qvi tantum ad tempus durant, qvorum duratio ex directionibus horoſcopi & Lunæ deprehenditur, qvæ cum ad Venerem pervenerint, hilaritatem, ſvavitatem, & reliqvos mores Venereos adferunt. Cum ad Jovem, probitatem honeſtetatem &c. Ad Saturnum, triſtitiam, timorem &c,

I I I.

§. 45. Qvod ſi nullus Planeta horopum occupat, conſidera qvis *Lunæ Mercuriove* jungatur, & pro natura ejus planetæ, mores judicabis. Si plures juncti fuerint, aut ſit *Sol* jungatur alterutri, repete eadem, qvæ jam de planeta vel planetis in horoſcopo dicta ſunt.

Si utriq; & Lunæ & Mercurio jungatur aliqvis perinde eſt, ac ſi plures Planetæ

netæ conſtituerentur in horoſcopo. Nam diverſitatem morum ſignificant. Sed tamen mores ſignificati â potentiore erunt durabiliores, ſive is jungatur Lunæ, ſivè Mercurio.

IV.

§.46. Cum nullus Planeta horoſcopum occupat, neq; Lunæ, aut Mercurio aliqvis jungitur, ſume dominum horoſcopi, & pro ejus naturæ & affectione bona vel mala, judica de moribus, ut ſupra in 1. membro docuimus: ita tamen ſi diſpoſitor ejus, eum aliqvo aſpectu intueatur. Qvod ſi non intuetur eum, recurrendum eſt, ad illum Planetam, qvi fortius Lunam vel Mercurium partili radiô aſpexerit. Si nullus aſpexerit partili radiô, is erit ſignificator morum, qvi in loco Lunæ & Mercurii, plures dignitates ſibi vendicârit, ac pro natura & affectione ejus bona vel mala, judicium de moribus conſtitues.

V.

§. 47. Significatores morum juncti ſtellis fixis regiis, primæ vel ſecundæ magnitudinis, illis præſertim, qvæ pa-

rum diſtant ab Ecliptica, mirificam vim habent in morum ſignificatione. Nam eos mores, qvos Planeta per ſe ſignificat, ita excitant, ut plane ſe aperiant, & conſcipiantur: Exempli gratia, *Cor leonis* cum ſignificatoribus morum, magnanimitatem & mores graves ac generoſos addit. *Spica virginis* ſedulitatem & gravitatem ſvavitate temperatam. *Cor Scorpii*, item *oculus Tauri* cum ſignificatoribus, violentiam qvandam, audaciam & importunitatem portendunt, præſertim ſi malè collocentur.

§. 48. Poſtremo qvotiescunq; in his membris aliqva pugna inciderit de moribus, adhibendus erit, velut arbiter, dominus genituræ, & ſecundũ ejus naturam beneficam, lis erit derimenda, item ſi teſtimonium domini genituræ acceſſerit, ad congruentes ejus naturæ ſignificationes, effectus erit eò evidentior & certior. Qvemadmodum etiam fit, cum plures regulæ ex his ſe ad aliqvod thema accommodant, ut ſi ſit aliqvis Planeta in horoſcopo, & ſimul Lu-

næ

næ aut Mercurio, vel utriq; jungatur etiam aliqvis Planetarum: tum enim propter pluralitatem teſtimoniorum, de eodem ſignificato inter ſe convenientium, effectus magis intenditur, & hoc diligenter etiam in ſeqventibus obſerva.

QUALES MORES A SINGULIS PLANETIS ORIANTUR AC DECERNANTUR IN SPECIE.

SATURNUS Significator MORUM.

FORTIS AC BENE AFFECTUS FACIT.

Graves cum qvadam auſteritate, conſultos profunda cogitantes, taciturnos, ſolitarios, laborioſos, patientes, cumulatores opum, parcos, proprii commodi Studioſos, Zelotypos.

DEBILIS AC INFELICITER POSITUS FACIT

Abjectos, ſqvalidos, humilia cogitantes, qverulos, negligentes, timidos, aman-

amantes ſolitudinum, triſtes, invidos, pertinaces, ſuſpicaces, lividos, obtrectatores ἐπιχαιρεκάκους, ſuperſtitioſos, incultos, malignos, inſidiantes ſuis.

JUPITER Significator Morum.

FORTIS AC BENE AFFECTUS
Facit

Honeſtos, religioſos, juſtos, beneficos, magnanimos, gubernatores, ſplendidos, magna curantes, graves cum qvadam moderatione, prudentes, ordinatè viventes, amantes ſui, candidos, apertos.

IMBECILLIS ET INFELICITER POSITUS.

Mores ſimiles facit ſuperioribus, ſed obſcuriores, & magis dilutos, faſtum animi, ſuperbiam, ſuperſtitionem, timiditatem, ſimulatum ac fucatum candorem, negligentiam, prodigalitatem.

MARS

MARS Sigatficator MORUM FORTIS ET FORTUNATUS REDDIT·

Generoſos, fortes, animoſos, iracundos, vehementes, promtos manu, apertos cum qvadam temeritate, pericula non metuentes, idoneos gubernationi, jactabundos, vindictæ cupidos, impatientes ſervitutis & injuriarum.

DEBILIS ET INFORTUNATUS REDDIT

Crudeles, rixoſos, tyrannicos, præcipites: truculentos, temerarios, inverecundos, ſumtuoſos, thraſones juſtos, effuſores ſangvinis, feroces in laceſſendo, & ubi ad rem ventum eſt timidos, prædones, autores diſcordiarum &c.

VENUS Significatrix MORUM.

FORTIS AC BENE CONSTITUTA FACIT

Lætos, hilares, formoſos, blandos, venuſtos

nuſtos in geſtibus, bonos, beneficos, miſericordes, ad voluptates pronos, munditiei & choreis deditos, delitiarum amantes, ſubtiles & elegantes.

DEBILIS ET INFORTUNATA

FACIT.

Mulieroſos, timidos, imbelles, ignavos, procos, pronos ad libidinem, negligentes famæ aut infames, Zelotypos.

MERCURIUS Significator Morum.

FORTIS, BENE DISPOSITUS

FACIT.

Acumine ingenii excellentes, ſtudioſos & capaces doctrinarum, vafros, ſolertes, cautos, bene conjectantes, & cum dexteritate omnia facientes, Poetas, Geometras, Mathematicos, ſine doctore facile & multa diſcentes, diſertos, moribus compoſitos &c.

IMBECILLIS, INFORTUNATUS

FACIT.

Inſtabiles, malitioſos, malevolos, perfidos, mendaces, præſertim cum cauda

da Draconis in eſſentiali dignitate maleficorum, cujusvisrci ſimulatores & diſſimulatores, clam ſtruentes fraudem, & periculoſa conſilia, infames, falſarios, ubiqve ſe ingerentes, obliviosos, ſtolidos, locutulejos, hallucinantes,

§.49. Ab his Planetis & eorum inter ſe commixtione, principalia de moribus judicia ſumuntur. Sed Luminarium poſitus, eorum qvalitates adjuvant. Luna cum principali ſignificatore conveniens, ac creſcens lumine, mores magis apertos ſignificat. In occultatione aut conjunctione, obſcuriores & languidiores impetus. In latitudine maxima Septentrionali aut meridiana, varietatem morum decernit. Sol cum principali ſignificatore morum congruentiam habens, ac fortis exiſtens, gravitatem morum cum ſplendore conjunctam juvat: Debilis, omnia languidiora & difficiliora reddit.

§.50. Præſtat autem Luminarium diſpoſitores magis, qvam ipſa Luminaria conſiderare. Iis enim officium decernendi mores committunt.

DE

DE INGENIO.

§. 51. Ingenium felix eſt, qvod vel per ſe multa prudenter, celeriterq́; excogitat, vel ab aliis tradita & inventa facile intelligit, agnoſcit ac dijudicat, eademqve firmâ memoriâ complectens, tum vel in agẽdo dextrè exeqvitur, vel in dicendo eleganter ac perſpicue ediſſerit.

§ 52. Sumuntur autem ingenii ac intellectus ſignificatores præcipuè â Mercurii conditione. Nam is rationalem animam & ſpiritus animales in cerebro, ſicut Luna vegetativam & vires cerebri propiores ſenſibus gubernat. Qvod ſi horum Planetarum loca benè ſint affecta, & ſe mutuo benignô radiô aſpexerint, efficitur qvædam convenientia inter rationalem animam & reliqvas vires, ex qva ingenium præſtans & vegetum conflatur. Sin malè afficiantur, aut inimicis radiis ſe aſpexerint, aut nullô prorſus, ingenium hebes & tardum efficitur. Ex his facile etiam mediocritatem ratiocinari potes.

§. 53. Ita ſi Mercurius fuerit potentior

tior Lunâ, & in ſignis imperantibus, ac longarum aſcenſionum, Luna vero in obedientibus & brevium aſcenſionum ſignis, qvi ſic naſcitur, in eo ratio imperabit reliqvis viribus vegetativæ, & appetitionibus. Si Luna fuerit potentior hoc modo, qvod ſæpius fit, affectus & reliqvæ inferiores vires facile vincent rationem.

§. 54. Porro felix ingenium, aut rude, magis aphoriſmis, qvam univerſali qvâdam ratione judicatur: Conſidera igitur ordine has regulas, de aſpectibus Lunæ & Mercurii.

I. Mercurius & Luna conjuncti in qvocunq; ſigno, ingenioſos reddunt.

II. Mercurius & Luna ſextili radiô ſe intuentes.

III. Item Trigonô, ſed imbecillior eſt hic radius, qvam Sextilis in judicio ingenii.

IV. Qvadratus aſpectus Mercurii & Lunæ, ingenium qvidem largitur, ſed aliqvanto turbidius & minus ſagax.

V. Sic oppoſitus Mercurii & Lunæ, præſertim ex angulis, contumacia &

& turbulenta ingenia faciunt; Qvod ſi alteruter ſit in ſuo detrimento, ingenia ſeditioſa, temeraria, ſtolida, qvæ audacter periculoſa conſilia ſtruunt, denotat.

§. 55 Qvod ſi tamen Mercurius in Tauro ſit, retrogradus, aut combuſtus, vel in Capricorno, in 12. loco, â malignis partiliter damnatus, ſimplices & rudes efficiet, qvantumvis eum Luna aſpiciat.

I I.

§. 56. Cum nulla eſt inter Mercurium & Lunam convenientia per aſpectum, ſeqventia conſiderabis.

1. Mercurius ſalvus (hoc eſt non læſus partiliter â maleficis, præſertim Marte) in Aqvario, & in bono loco cœli, facit ingenio ad omnes diſciplinas aptiſſimo, præſertim ſi ſit orientalis, velox & cum nodo. Nam ita conſtitutus acumine & celeritate inventioninis mirabiles, ingenio promptiſſimos & in omni doctrinarum genere excellentiſſimos efficit: *Talis fuit in themate Philippi Melanchtonis, cujus ingenium feliciſſimũ eam ſtudiis com-*

mu-

munibus & univerſæ Reipublicæ literariæ attulit commoditatem, ut ex ejus ſchola & inſtitutione, velut ex equo Trojano, innumera multitudo doctiſſimorum, & in omni eruditionis genere præſtantiſſimorum ingeniorum, prodierit, non ſine ſingulari ac public totius Europæ utilitate.

II. Poſtea adjuvat etiam acumen ingenii & induſtriam, cum in horoſcopo conſtituitur Mercurius, niſi tamen ſit in Tauro; Nam ut dixi, in eo ſtupidos facit.

III. Sic Mercurius in domo ſua, præſertim in angulis figuræ cœli, ac re ingenium decernit.

IV. Receptus à Luna ex domicilio vel exaltatione Mercurius, etiam largitur insignem ingenii ſolertiam.

V. Item, Mercurius in ariete, præſertim ſi recipiatur à Marte ex eadem dignitate, præſtat etiam ſolertiam ingenii admirabilem. *Ita conſtitutus eſt in themate Joachimi Camerarii, cujus ingenium excellens, multiplex doctrina atq; in utraq; lingva abſoluta omnibus numeris elo-*

eloqventia, jure meritò omnium judicio admirabilis ac prope divina cenſetur.

III.

§. 57. Luna in nodis, callidos, agiles & ingenio promptiſſimos facit, præſertim ſi creſcat lumine, & non procul abſit ab oppoſitione, ita ſi ſit in maxima latitudine, Alcibiadæa ingenia, hoc eſt, callidos, acutos, induſtrios & inſtabiles reddit, nam in tali ſitu ſubito motum ſuum mutat.

IV.

§. 58. Univerſaliter ſunt præſtantia ingenia, cum plures Planetæ in trigono aëreo conſtituuntur, videlicet ♊ ♎ ♒

IMBECILLIS ET CORRUPTI INGENII SIGNA EVIDENTIA.

§ 59. Mercurius peregrinus, aut cadens, combuſtus â Sole, tardus motu, vel læſus partiliter â maleficis, præſertim Marte, ingenium corruptum & ſtolidum ſignificat. Qvo plura horum incommodorũ concurrũt, eo deterius eſt.

§. 60. Item

§.60. Item Mercurius à Luna ſeparatus, id eſt non intuens eam ullò aſpectu ingenii vires imbecilles notat; Qvòd ſi plura incommoda acceſſerint, ut ſi Mercurius ſit peregrinus, & in domo cadente, prorſus corruptum ingenium ſignificat.

§.61. Mercurius retrogradus & latens ſub radiis, tardiſſimos aut in actionibus aut ingenio oſtendit.

§.62. Nota, ſi Mercurius in Aqvario qvidem ſit, & tamen Marti conjunctus in octava, mirificè ab eo læditur, adeò ut etiam ſimplex ac plane rude ingenium efficiat; plurimum enim in eo caſu poteſt corporalis conjunctio maligni in loco abjectiſſimo figuræ cœli.

DE STATURA ET CONFORMATIONE CORPORIS.

§.63. Abſolutis iis, qvæ ad animum principaliter ſpectant, addemus etiam qvalemcunq; conſiderationem de forma & ſtatura corporis, qvod judicium obſcurius tamen eſt, & magis fluxum,

qvam ſuperiora, eo qvod in formæ & corporis conſtitutione, præter univerſales, hoc eſt, cœleſtes cauſas, magna etiam vis eſt particularium, ut ſunt parentum ac progenitorum ſimilitudo, qvæ interdum longiſſimè durat & propagatur in poſteros, provinciæ ſeu loci natalis natura, educatio, inſtitutio, victus ratio & alia. Nec tamen dubium eſt, bonos ſiderum poſitus in formis venuſtatem, hilaritatem & qvaſi lumen efficere. Et è contra infauſtos poſitus, inſigniter deformare corpus. Omittimus autem hic de induſtria prolixam deſcriptionem formarum, qvas ſinguli Planetæ & ſingula Zodiaci ſigna efficiunt, ac tantum de ea parte qvæ corporis ſtaturam, hoc eſt proceritatem aut brevitatem, maciem aut plenitudinem dijudicat, brevem doctrinam addemus.

I.

§. 64. Judicatur autem ſtatura corporis procera, aut humilis, principaliter ex planeta, horoſcopi dominum partiliter aſpiciente, & ſi plures aſpiciant,

ant, fortiore: qvorum hæ ſunt obſervationes.

♄	*Oriētalis decernit*	*Mediocrē ſtaturam, declinantem tamen magis ad brevitatē.*
	Occidentalis - - -	*Brevem.*
♃	*Orientalis - - -*	*Proceram naturam*
	Occidentalis - -	*Mediocrē, ſed longiorem, qvam breviorē.*
♂	*Orientalis - -*	*Proceram.*
	Occidentalis - -	*mediocrem ſed longiorem ſtaturam.*
♀	*Orientalis - - -*	*mediocrem ſed longiorem.*
	Occidentalis - - -	*mediocrem.*

§. 65. Mercurius ſive orientalis ſive occidentalis, pro natura diſpoſitoris ſui ſtaturam corporis format. Qvod ſi in domo ſua aut Solis vel Lunæ conſtituatur, pro natura ſigni, qvod occupat, corporis ſtaturam moderatur. Eadem eſt ratio Luminarium.

SIGNORUM NATURA.

♈♉♎♏ decernunt ſtaturam mediocrem, ſed longiorem tamen.

♌♍♐ proceram.

♋ ♑ ♓ brevem.
♊ mediocrem
♒ mediocrem ſed breviorem.

EX HAC SIGNORUM ET PLANETARUM PROPRIETATE SUMUNTUR JUDICIA DE STATURA CORPORIS, QVIBUS ADDENDÆ SUNT TAMEN HÆ CAUTELÆ.

§. 66. I. Venus vel Mercurius ex domiciliis, vel altitudinibus ſuis, aſpicientes horoſcopi dominum, decernunt lõgam ſtaturam. Contra, in caſu aut detrimento ſuo.

§. 67. II. Saturnus, Jupiter, Mars in caſu aut detrimento ſuo, retrogradi, decernunt ſtaturam mediocrem vel breviorem. Sed in caſu aut detrimento ſuo, non retrogradi, non mutant ſtaturam.

I I.

§. 68. Si nullus Planeta dominum horoſcopi partiliter aſpexerit, judicium ſumatur â natura domini horoſcopi, neglecto ſigno qvodis occupat, ſi fuerit

fuerit directus: Sin retrogradus & in caſu ſuo, judicium non â natura Planetæ, ſed ſigni, qvod occupat, ſumatur. Eodem modô Luminaria dominantia horoſcopo, decernunt ſtaturam, pro natura ſigni, qvod occupant. Mercurius verò dominium horoſcopi obtinens, tribuit ſtaturam pro natura ſui diſpoſitoris &c. ut paulo ante monuimus.

DE CRASSITUDINE VEL MACIE CORPORUM.

§. 69. Craſſitudinem & maciem corporum nominamus eam, qvæ natura corporibus accedit poſt ἀκμὴν id eſt conſiſtentem ætatem, aut circa 30. vel paulo poſt, non qvatenus morbô, aut inconveniente victus ratione, corpora â qvantitate naturali recedunt.

§. 70. Hujus judicium ſumitur ab horoſcopi ſigno & ejus Almuten, id eſt, Planeta qvi plurimas dignitates in eo ſigno obtinet.

SIGNORUM NATURA HÆC EST.

♈ ♉ ♌ prior medietas craſſitiem, poſterior maciem adfert corporibus.

♊ Prior maciem, poſterior craſſitiem.

♋ ♑ Prior pars mediocritatem vel potius maciem, poſterior mediocritatem tendentem ad craſſitiem magis.

♐ Prior maciem, poſterior craſſitiem

♍ ♎ ♒ ♓ mediocrem proportionem corporum decernunt. Pars tamen aqvarii poſterior, magis ad maciem declinat.

Almuten horoſcopi hôc modô conſiderandus eſt.

§.71. I. Si horoſcopus â ſuo almuten partiliter aſpiciatur, fer judicium pro natura ſigni horoſcopantis.

II. Si non: fer judicium pro ſigni natura, qvod horoſcopi Almute occupat, modo is ab aliqvo partiliter aſpiciatur.

III. Si horoſcopi Almuten â nullo partiliter aſpicitur, judicato ex ea medietate ſigni, qvam Almuten non occupat.

CAUTIO I.

§.72. Dominus domus,vel exaltationis horoſcopi conjunctus Soli medietate ſui orbis,abſente Marte,corpus grande decernit, ſi acceſſerit conſenſus horoſcopi vel ejus Almuten. Sed Marte præſente, maciem, etiam diſſentiente horoſcopô, vel ejus Almuten.

CAUTIO II.

§.73. Si bini Planetæ ſunt Almuten horoſcopi, præferatur is,qvi partiliter aſpicitur,domumqve obtinet, ei, qvi in exaltatione conſtitutus eſt, tametſi & ipſe aſpiciatur.

§.74. Hanc de ſtatura & configuratione corporis conſiderationem, etſi ſciam tenuiorem eſſe, & vix conferendam, cum Ptolemæi & reliqvorum artificum doctrinam,qvæ rationes & phyſicas & Aſtronomicas habet evidentes, ſumptas à Planetarum latitudinibus, motu in Epicyclo, ſtationibus & configurationibus ad Solem &c.tamen ſecutus eam hactenus in multarum genitu-

rarum dijudicatione, mirificum ejus cum experientiâ conſenſum deprehendi. Neqve verò propterea rejicio uſitatam doctrinam, qvam & hîc & alibi velim per me retinere ſuam autoritatem ſalvam & incolumem, imo qvam in aliis ipſe qvoqve, qvod ejus fieri poteſt, ſeqvor, niſi qvatenus me experientia aliud docuit. Hoc autem de ſtatura, corporis judicium, in veteri qvodam libro Aſtrologico manuſcripto inveni, cujus copiam mihi fecit Reverendus Dominus Andræas Abbas monaſterii Elchingenſis, in ripa Danubii prope Ulmam. Infra in loco de morte, etiam qvasdam ex eodẽ libro obſervationes dignas annotatione, recitabo.

DE FORTUNA VEL
MISERIA NATI IN GENERE.

§. 75. Si de fortuna & ſucceſſibus nati in genere judicare voles, hoc eſt, ſcire utrum natus in maxima parte vitæ, conſiliorum & negotiorum ſuorum, ſecundam fortunam & ſucceſſus felices ſit habiturus, conſidera genituram hôc modô.

§. 76. Si

§ 76. Si in ea qvatuor, aut plures Planetæ conſtituti reperiantur in eſſentialibus dignitatibus, puta domicilio proprio, vel exaltatione, vel ſi mutuo ſe recipiant ex iisdem dignitatibus eſſentialibus, illuſtrem, ſplendidam & manifeſtam fortunam nato ſignificant, eumqve fore in maxima vitæ & actionum ſuarum parte, & pluribus rebus fortunatum ac felicem. Hoc nos in multis genituris experimentô probavimus verum eſſe. *Talis fuit conſtitutio in themate potentiſſimi regis Hungarici Matthiæ Hunniadis, qvi qvatuor Planetas habuit in mutua receptione ex dignitatibus eſſentialibus, & qvanqvam calamitatibus initio premebatur, tamen ita emerſit, ut ex carcere ad regiam dignitatem evectus, formitabilis fuerit non tantum Imperatori Friderico Auſtriaco, ſed etiam ipſis Turcis, &c. Talis fuit nativitas Mauritii ducis Electoris Saxonici cui qvatuor Planetæ in propriis domiciliis conſtituebantur.*

§. 77. Contrà qvando totidem Planetæ in ſuis detrimentis aut dejectioni-

bus conſtituuntur, absqve mutua receptione ex dignitatibus eſſentialibus, vel ſi totidem prorſus peregrini fuerint, hi magnis in vita impedimentis confligantur, *ut in geneſi optimi Principis Saxonici Joannis Friderici, qui ab Imperatore Carolo V. captus, Electoratus dignitatem amiſit. Habuit enim is tres Planetas in ſuis detrimentis, & unum planè peregrinum.* Sed cum maxima pars ſit mediocrium geniturarum, & rariores ſint excellenter bonæ aut extremæ ſeu tetræ genituræ, ſit etiam ut hæc regula rarius ſe ad uſum accommodet.

§. 78. Proinde conſiderentur proximè poſt hanc regulam, luminaria & eorum diſpoſitores. Nam ex horum conſtitutione etiam ſatis commodè illuſtris fortuna aut infortunium deprehendi poteſt: Ita tamen ut prima regula ſicubi inciderit, multo præſtantiores & evidentiores effectus polliceatur, hoc vero magis ad mediocritatem declinare videatur, non tamen ſine aliqvo inſigni eventu. Qvod ſi hi ſignificatores ex toto vel majori parte fuerint in propriis domici-

micilis aut altitudinibus ſuis, vel in receptione mutua ex iisdem & principalibus dignitatibus, atqve etiam in optimis cœli locis, ut in decima. 1 11. 2. 5. fortunam & ſucceſſus ſecundos in vita ſignificant.

§ 79. Contrarium portendunt, cum ſunt peregrini, vel in caſu, aut detrimento ſuo, & in locis cœli calamitoſis, utpote 6. 12. vel 8.

§. 80. Si mediocritas ex iis colligetur, qvod fit, cum pars ſignificatorum eſt in in ſuis dignitatibus & benè affecta, pars extra ſuas dignitatates & malè affecta: Aut cum ſignificatores fuerint qvidem in dignitatibus ſuis, verum in locis abjectis figuræ cœli: vel ê contra diſſimilem fortunam, inconſtantem, & inæqvalem portendunt, ita ut in aliis vitæ partibus felix ſit natus futurus, in aliis rurſus infelix & infortunatus, item modò, in eadem re fortunatus, modò infortunatus.

§. 81. Fieri autem poteſt, ut aliqvis habeat nativitatem valde bonam, & multas egregias fortunæ & felicitatis ſigni-

gnificationes, & tamen eventus tardidius reſpondeat his ſignificationibus. Id judicium maxima ex parte â directionibus pendet. Nam ex eis ſolers Aſtrologus facile poterit prædicere nato, qvô tempore vitæ ſuæ futurus ſit inſigniter fortunatus aut calamitoſus.

Tantum in genere de fortuna & ſucceſſibus, nunc de eadem in ſpecie ſeqventibus capitibus tractabimus.

DE DIVITIIS ET FACULTATIBUS.

§.82. Non una eſt Aſtrologorum ratio judicandi, qvales futuræ ſint nati facultates. *Ptolemæus* â parte fortunæ judicium ſumit, & Planetâ, obtinente dominium loci partis fortunæ, item beneficorum, vel maleficorum, ad hos configuratione.

§.83. Aliter Arabes, qvorum pleriqve tamen magnæ felicitatis indicia à ſpeſpecialibus qvibusdam & non magni momenti ſignificatis ſumunt. Hanc diverſitatem opionum nos hîc miſſam facimus, explicaturi nunc generalem ratio-

rationem judicandi breviter, profuturam etiam iis, qvi non ſunt diu multumqve verſati in hoc genere ſtudiorum, & â veterum ac optimorum doctrina non ita multum diſſentientem.

§. 84. Hunc autem de divitiis locum paulo copioſius exponam qvam cæteros, propterea qvod maximum ac præcipuũ/uſum inter omnes ferè prędictiones Aſtrologicas habeat, qvodqve ſignificationes magnæ alicujus & excellentis fortunæ conjunctæ ſint plerumqve cum ingenti aliqvo alio bono, ut ſunt dignitates, honores, principum gratia, felix conjugium & ſimilia.

§. 85. Itaqve divitias nomino univerſum id, qvod nato â parentibus relictum, (ſi tamen aliqvid relinqvitur) ejus induſtriâ conſervatur, augetur, vel diſſipatur. Id qvod multis & variis modis fieri poſſe manifeſtum eſt.

§. 86. Porrò qvemadmodum in omni qvæſtione, ita & in judicio de ſubſtantia & facultatibus nati, omnium primo notos oportet eſſe ſignificatores

divitiarum præcipuos & generales, qvi ſunt in qvalibet geneſi ſex hi:

1. Cuſpis ſeu principium ſecundæ domus, â qvinto gradu proximè antecedente usqve ad proximos qvinqve gradus tertiã domum antecedentes. Unde ſeqvitur ſignum inter eos gradus interceptum, etiam ad ſecundam referri.

2. Dominus ſigni emergentis atqve etiam intercepti in ea domo, ſi id forte contingat.

3. Pars fortunæ.

4. Dominus ejus.

5. Jupiter, qvi ſemper eſt generalis ſignificator divitiarum.

6. Planetæ, exiſtentes in ſecunda, ſive unus ſive plures: Qvi qvidem qvo viciniores ſunt initio ſecundæ domus, eò evidentiores præſtant effectus.

Ex his ſignificatoribus pari ratione de divitiis, vel etiam futura nati paupertate judicium eſt componendum.

§. 57. Partiemur autem hanc doctrinam in qvatuor membra:

1 Utrum natus futurus dives, an pauper, hoc eſt utrum bona relicta â parenti-

rentibus, ſuô Marte ipſe qvoqve ſit au-cturus, vel diſſipaturus. Sic enim ſupra definivimus divitias?

2. Cum conſtat natum futurum divi-tem, qværitur unde acqviſiturus ſit di-vitias?

3. Qvibus rationibus, licitisne, an il-licitis?

4. Utrùm divitiæ acqviſitæ duratu-ræ ſint perpetuo. Sæpè enim fieri vide-mus, ut qvis ſubito ditatus, tamen ad extremum rurſus redigatur ad pauper-tatem?

Hæc capita ordine explicabimus ea perſpicuitate, ut res plana prorſus fiat Lectori etiam mediocriter attento. Hoc autem obſervari in genere primum hic debet, qvod qvæ de divitiis dicentur, eadem ratione prorſus de paupertate & amiſſione ſubſtantiæ paternæ intelli-genda ſint. Eadem eſt enim contrario-rum; ut dicitur, doctrina, eadem ratio.

I. PROPOSITIO DE DIVITIIS.

§ 88. Utrum natus futurus ſit dives, ſic judicari debet.

Si

Si ſignificatores omnes ſupra conſtituti, vel maxima eorum pars, ſint fortes ac potentes, ſignificatur natum divitias magnas acqviſiturum: contra, ſi debiles.

Et qvo plura teſtimonia debilitatis vel fortitudinis ſignificatorum inter ſe conveniunt, eò ſignificatum erit evidentius & majus:

Nec intereſt utrum ſint benefici Planetæ ſignificatores divitiarum, an malefici.

§.39. Hoc judicium generale eſt, & omnibus nativitatibus accommodari poteſt. Specialia autem judicia ſeu aphoriſmos experientia & obſervatione probatos, alibi colligemus, qvales ſunt: Jupiter, cum parte fortunæ, in bono cœli loco, affluentiam divitiarum ſignificat, præſertim ſi accedat ſtella fixa regia.

Dominus partis fortunæ receptus â luminaribus, altero eorum ſecundam vel primam occupante, & ſimiles.

II. PRO-

II. PROPOSITIO.

§. 90. Si conſtat nato adventuras divitias, vel paupertatem, qværitur, unde acceſſuræ ſint divitiæ, vel contraria ratione, unde paupertas ſeu amiſſio Patrimonii.

In hac qvæſtione conſideranda eſt natura ſignificatorum, qvos ſupra enumeravimus, & domus cœleſtis, in qva, vel in qvibus ſignificatores conſtituti ſunt. Hæc ordine explicabimus, & uberius qvidem hoc loco, qvod ſæpe eadem repetenda erunt deinceps in reliqvis locis. Primum qvidem naturas Planetarum, qvibus ſignificatoris officium tribuitur, poſtea ſingularum domorum naturas & ſignificationes deſcribemus.

§. 91. Significatoris natura diſtinguitur in Res & Perſonas.

SATURNUS ſignificat ex

REBUS Agriculturam & terræ fructus, fodinas matallicas, theſauros, ædificationes, opificia impura, tenacitatẽ, hæreditates mortuorum, carcerem, æs alienum &c.

PER-

PERSONIS. Senes, agricolas, foſſores metallorum, lapicidas, coriarios, figulos, Judæos, Mauros, Lentos, invidos, pertinaces, ſolitarios, taciturnos, inſidiatores &c.

JUPITER ſignificat ex

REBUS. Dignitates Eccleſiaſticas, religionem, regnum, juſtitiam, honeſtatem, commendationes, beneficia &c.

PERSONIS Magnanimos, verecundos, manſvetos, Prælatos, Epiſcopos, Juriſperitos, Judices, Advocatos, Nobiles, divites, præfectos provinciarum vel civitatum &c.

MARS ſignificat ex

REBUS Contentiones, rixas, militiam, bellum, victoriam, fortiter geſta, fabrilem, alchymiſticam & omnia opificia, qvæ fiunt per ignem: tyrannidem, violentiam &c.

PERSONIS Contumelioſos, ſeditioſos, conjuratos, prædones, iracundos, crudeles, audaces, inverecundos, conviciatores, Chirurgos, lictores, Duces, Capitaneos, qvi ferrum & igni-

ta opera tractant, bombardarios, macheropæos, fuſores &c.

SOL ſignificat

RES OMNES MAXIMAS, ut Regna, Reſpub. Nobilitatem, Magiſtratus, magnanimitatem, fortitudinem, ſplendorem, dominationem, honores &c.

PERSONAS, ut Reges, Principes, Comites, gerentes Magiſtratum, ſplendidos, claros, providos, amantes & cupidos honorum, ambitioſos &c.

VENUS ſignificat

RES, ut Amorem, miſericordiam, affabilitatem, comitatem, urbanitatem, pulcritudinem, donationes amicorum, donationes â mulieribus, conjugium, dotem, ornamenta & res pretioſas, libidines, luxum &c.

PERSONAS, ut Manſvetos, comtos, ſaltatores, procos, mulieroſos, appetentes delitiarum, & conviviorum, phrygiones, Muſicos, Poëtas, Pictores &c.

MER-

Digitized by Google

MERCURIUS ſignificat

RES, ut Contractus, negotiationes, omnes artes, qvæ in ingenii contemplatione verſantur, ſtudia honeſta, inventionem novarum artium, divinationem, curioſitatem &c.

PERSONAS, ut Philoſophiæ Profeſſores, Mathematicos, Arithmeticos, Scriptores, Cancellarios, mercatores, ſculptores, omnis generis artifices ingenioſos, ſagaces, doloſos, callidos, inſtabiles, &c.

LUNA ſignificat ex

REBUS Omnia qvæ humore abundant, mare, flumina, & horum affluxus & refluxus: ſtudium hiſtoriarum, legationes, navigationes, itinera, peregrinationes. &c.

PERSONIS Reginas, viduas, plebem, & eos qvi in aſſiduo motu ſunt, ut nautas, curſores, legatos, nuncios, piſcatores, vagabundos, puſillanimes &c.

§.92. Hactenus de Planetis, his addendæ ſunt 12. domiciliorum Cœli ſigni-

gnificationes, qvibus etiam opus eſt in hoc judicio.

PRIMA DOMUS.

Qvæ aſcendens, item cardo orientis, & horoſcopus dicitur, ſignificat vitam, nutritionem, complexionem corporis, animi qvalitatem, & qvæ his accidunt. Item propriam induſtriam nati.

SECUNDA ἀνάφορα.

Significat ea qvæ neceſſaria ſunt vitæ ut ſubſtantiam, opes, divitias, ſupellectilem, lucrum, cenſus, & ſimiliter propriam induſtriam nati.

TERTIA Θεά.

Fratres, ſorores, conſangvineos, affines, item itinera minora, hoſpitalitates, rumores novos &c.

QVARTA ὑπόγειον.

Continet ſignificationem patris, patrimonii, & eorum qvæ dicuntur bona immobilia, item ædificiorum, fundamentorum, agrorum, villarum, pratorum, theſaurorum abſconditorum.

QVINTA ἀγαθὴ τύχη.

Filios & filias, munera, veſtimenta, delectationes, convivia, luſum, voluptates, &c.

Digitized by Google

SEXTA κακὴ τύχη qvod triſtia portendat.

Domus eſt ægritudinum, vitiorum corporis, ſervorum, vicinitatum, & minorum animalium &c.

SEPTIMA δύσις.

Qvæ eſt angulus occidentis, habet ſignificationem de conjugio, nuptiis, mulieribus, ſocietatibus, contentionibus forenſibus ac ſimultatibus. Denotat etiam hoſtes apertos, furta, rapinas & omnis generis ſcelera.

OCTAVA ἐπικατάφορα ſuperna porta.

Significat mortem, & mortuorum hæreditates non ſperatas, funus, item timores, incantationes, veneficia &c.

NONA Θεός.

Præbet judicium pietatis, veritatis, ſectæ, religionis, divinationis, ſomniorum, ſapientiæ, peregrinationum, longiorum itinerum, epiſtolarum &c.

DECIMA μεσουρανία.

Culmen vel cor cœli & cuſpis regalis, ſtatum vitæ ſignificat, regnum, principatum, dominium, honores, magiſtratus

tus publicos, ſeu publicas adminiſtrationes, magiſterium, ſtudiorum atqve artium tractandorum genus. Habet item 10. locus, peculiarem ſignificationem de matre.

UNDECIMA Bonus dæmon.

Significat felices eventus, & ea qvæ ſeqvuntur ſtatum vitæ, amicitias, fideles amicos, favores, ſuffragia, conſilia, felicem ſucceſſum rerum ſperatarum, ſpem & fiduciam &c.

DUODECIMA.

Malus dæmon dicitur â ſignificatione triſtium eventuum. Eſt enim domus ſeu locus triſtitiæ, ærumnarum, mæroris, laborum, paupertatis, carceris, occultorum inimicorum, impoſtorum, meretricum, & animalium magnorum ac ferocium, cujusmodi ſunt eqvi ac ſylveſtres feræ.

§. 93. Jam ut ad inſtitutam qvæſtionem redeamus, & uſum hujus doctrinæ monſtremus, ſi voles judicare unde nato acceſſuræ ſint divitiæ, vel amiſſio patrimonii; Ex prima propoſitione conſtabit, cui ſignificatores ſint potentes &

qvoſ

qvot,& utrum major pars ſit fortior, aut imbecillior. ſi Qvod omnes fuerint fortes, qvod rariſſimum eſt,tunc ſecundum omnium naturam & domos, qvas occupant, judicia unde adventuræ ſint divitiæ, ex doctrina propoſita. Si non omnes fuerint fortes,ſed tamen major pars, tunc ſecundum eorum naturam, & domum, qvam occupant eâdem ratione judica,unde venturæ ſint opes.Secundum autem eos ſignificatores, qvi imbecilles reperiuntur, de jactura opum judicabis.Fieri enim poteſt,ut qvis majori ex parte acceſſionem facultatum experiatur, & tamen interdum damnum incurrat, qvod tamen facile reſarcitur, propter plura teſtimonia, qvæ divitias decernunt. Idem erit judicium, ſi omnes ſignificatores, vel major pars eorum fuerit imbecillis, minor autem pars potens. Ibi majori ex parte oſtenditur jactura opum, qvamvis ſe tamen occaſiones acqvirendi facultares interdum offerant.

§.94. Eâdem igitur ratione ex imbecillium Planetarum natura, & domibus,

bus, quas occupant, judicandum eſt de cauſis & rationibus amittendi opes, per quas res vel perſonas ventura ſit amiſſio facultatum.

§. 95. Si tot fuerint potentes ſignificatores, quot imbecilles, ſignificatur mediocritas quædam inconſtans, & quod natus jam per hos acquiret aliquid opum, per alios rurſus amittet, ita tamen ut nec divitiis adfluat, nec prorſus paupertate prematur, ſed retineat ſuas divitias, ſine augmento, aut decremento inſigni.

III. QVÆSTIO DE DIVITIIS.

An licitis vel illicitis modis divitias acqviſiturus ſit natus?

§. 96. Hujus rei judicium ſimiliter à natura ſignificatorum ſumitur, quæ eſt aut benefica aut malefica. Beneficum ſignificatorem nominamus etiam eum, qui in dignitatibus beneficorum conſtitutus eſt, etiamſi ſua natura ſit maleficus. Sed tamen in hoc caſu fit commixtio quædam.

qvot,& utrum major pars ſit fortior, aut imbecillior. ſi Qvod omnes fuerint fortes, qvod rariſſimum eſt, tunc ſecundum omnium naturam & domos, qvas occupant, judicia unde adventuræ ſint divitiæ, ex doctrina propoſita. Si non omnes fuerint fortes, ſed tamen major pars, tunc ſecundum eorum naturam, & domum, qvam occupant eâdem ratione judica, unde venturæ ſint opes. Secundum autem eos ſignificatores, qvi imbecilles reperiuntur, de jactura opum judicabis. Fieri enim poteſt, ut qvis majori ex parte acceſſionem facultatum experiatur, & tamen interdum damnum incurrat, qvod tamen facile reſarcitur, propter plura teſtimonia, qvæ divitias decernunt. Idem erit judicium, ſi omnes ſignificatores, vel major pars eorum fuerit imbecillis, minor autem pars potens. Ibi majori ex parte oſtenditur jactura opum, qvamvis ſe tamen occaſiones acqvirendi facultates interdum offerant.

§.94. Eâdem igitur ratione ex imbecillium Planetarum natura, & domibus,

bus, quas occupant, judicandum eſt de cauſis & rationibus amittendi opes, per quas res vel perſonas ventura ſit amiſſio facultatum.

§. 95. Si tot fuerint potentes ſignificatores, quot imbecilles, ſignificatur mediocritas quædam inconſtans, & quod natus jam per hos acquiret aliquid opum, per alios rurſus amittet, ita tamen ut nec divitiis adfluat, nec prorſus paupertate prematur, ſed retineat ſuas divitias, ſine augmento, aut decremento inſigni.

III. QVÆSTIO DE DIVITIIS.

An licitis vel illicitis modis divitias acqviſiturus ſit natus?

§. 96. Hujus rei judicium ſimiliter à natura ſignificatorum ſumitur, quæ eſt aut benefica aut malefica. Beneficum ſignificatorem nominamus etiam eum, qui in dignitatibus beneficorum conſtitutus eſt, etiamſi ſua natura ſit maleficus. Sed tamen in hoc caſu fit commixtio quædam.

§. 97. Cum igitur benefici planetæ ſunt ſignificatores divitiarum, ita ut prorſus non participent cum maleficis, ſignificatur nato venturas divitias prorſus licitis rationibus.

§. 98. Si malefici fuerint ſignificatores & prorſus non participent cum beneficis, contrarium ſignificatur. Idem denotant retrogradi aut combuſti, præſertim ex tribus ſuperioribus.

§. 99. Si beneficus ſit ſuâ naturâ ſignificator, ſed in maleficarum dignitatibus, licitis & illicitis rationibus venturas nato facultates decernit. Idem, ſi beneficus fuerit retrogradus aut combuſtus.

§. 100. Quod ſi maleficus ſit ſuâ naturâ, divitiarum ſignificator, & tamen in dignitatibus benignorum planetarum conſtitutus, idem ſignificatur.

§. 101. Sin acciderit, ut maleficus ſignificator, in beneficorum dignitatibus conſtitutus, ſit retrogradus, aut combuſtus: Ibi quia conduplicatum eſt malum, plus illicitæ rationes valebunt, quàm licitæ.

§ 102. Sic è contra, ſi benignus fuerit in maleficorum Dignitatibus; & retrogradus, aut combuſtus, ſignificat illicitis modis magis quam licitis venturas divitias. Ita ex quatuor conditionibus, ſcilicet *natura Planetæ ſignificatoris*, & *ſigno* quod occupat, deinde *retrogreſſione & combuſtione* conſtituendum eſt de ſignificatoris promiſſione. Nam ſi plura teſtimonia vincant, ſecundum ea eſt pronunciadum. Poteſt etiam his non incommode aſpectuum ratio annumerari. Nam benefici, aut mediocres naturâ ſignificatores, cum â maleficis hoſtili radiô aſpiciuntur, participant cum eorum natura. Malefici â beneficis amicô radiô foti, itidem participant. &c.

§. 103. Mediocrium natura cum per ſe inconſtans ſit, plerumque in alterutram partem magis inclinat, idq; facile ex commixtione & configuratione eorum cum beneficis vel maleficis deprehenditur.

§. 104. Satis plana hæc ſunt, ſed tamen lectorem requirunt mediocriter attentum, & ingenio non prorſus ſtupi-

do præditum. Nequaquam enim ex uno ſignificatu judicandum eſt, ſed omnia diligenter inter ſe conferenda & expendenda ſunt, nec temerè præceptis ſine judicio inſiſtendum.

IV. QVÆSTIO EST.

Utrum durabiles & perpetuæ futuræ ſint divitiæ ſeu facultates?

§. 105. Hoc judicium ſumitur à principali ſignificatore divitiarum, qui ſemper is dicitur, qui eſt in ſecunda domo conſtitutus. Hic igitur ſi fuerit beneficus, & idem fortis ac potens, perpetuo & cum quadam facilitate duraturas divitias oſtendit.

§. 106. Sin debilis, durabunt quidem perpetuo, ſed cum magno diſcrimine, ita ut ſæpe difficultates in parandis & conſervandis facultatibus experiatur, ſæpè etiam amittat, & easdem recuperet tamen.

§. 107. Sin verò maleficus fuerit in ſecunda, rurſus conſiderandum eſt, utrum

trum ſit fortis vel imbecillis, ſi fuerit fortis, ſignificat duraturas quidem facultates, ſed cum diſcrimine, ita tamen, ut plus amittat quam recuperet, ſi imbecillis, omnino non durabunt, ſed evertentur.

§ 108. De mediocribus perinde ut ſupra judica, in quam partem magis inclinent.

§. 109. Quod ſi plures Planetæ in ſecunda conſtituti fuerint, eligendus & præferendus eſt eorum fortiſſimus, & ſecundum ejus naturam judicandum. Porro ſi nullus fuerit Planeta in ſecunda, quod ſæpe fit, in eo caſu is Planeta erit principalis ſignificator, qui ſæpius adhibetur, ut ſi idem Planeta eſſet & dominus cuſpidis & partis fortunæ &c. Quod ſi nullus ſignificatorum ſæpius quam ſemel adhibeatur, is erit conſiderandus, qvi plurimas dignitates eſſentiales habet in reliquorum omnium ſignificatorum locis, hoc eſt, qui eſt Almuten ſignificatorum, ut Arabes loqvuntur, & ſecundum eum, perinde, ut jam dictum eſt, judicium facies.

§.110. Tempus verò venturarum divitiarum oſtendunt directiones ſignificatorum ad beneficos promiſſores & eorum radios.

§. 111. Si quis tamen generalem rationem deſiderabit, is conſideret quam cœli quartam antedicti ſignificatores divitiarum occupent.

Si enim eorum major pars conſtituta fuerit inter horoſcopum & decimam domum, ſignificat divitias venturas in juventute.

Si inter principium decimæ & occaſum, in virili ætate.

Quod ſi inter occaſum & imum cœli conſtituta fuerit ſignificatorum major pars, in ſenectute opes promittunt.

A quarta domo ad horoſcopum circa finem vitæ.

§.112. Similiter orientales â Sole ſignificatores, citò & in juventute opum affluentiam promittunt. Occidentales â Sole, tardius & in ſenecta. Idem ſignificant retrogradi : contrarium veloces motu ac directi.

§. 113. Hæc generalis doctrina etſi pro-

probabilibus rationibus nitatur, tamen plus certitudinis eſt in directionibus, ex quarum ſerie tempus divitiarum certius deprehenditur. Poteſt autem fieri, ut directionis cum his conveniant, tunc eò major eſt certitudo; interdum his repugnent, tunc præferuntur Directiones. Specialia enim ſemper generalioribus anteponenda ſunt.

DE FRATRIBUS AC SORORIBUS.

§.114. Quæ ad alium quam ad ipſum natum pertinent, ea difficulter ex nativitatibus judicantur, nec parem cum cœteris prædictionibus certitudinem habent. De fratribus igitur & ſororibus nati, ſi quis generale judicium quæret, commodiſſimè ex primogeniti nativitate conjecturam ſumet. Siquidem primogeniti geneſis ſtatum ſignificat fratrum & ſororum, qui poſteà naſcuntur. Quod ſi primogeniti nativitas haberi non poſſit: tamen ex aliis, juxta ſequentem doctrinam, judicium inſtitui poteſt.

SIGNIFICATORES FRATRUM ET SORORUM IN QVALIBET GENITURA.

§. 115. 1. Tertia domus à quinto gradu proximè antecedente usq; ad 5. gradus proximè antecedentes ſequentem domum, ut in præcedente capite quoque dictum eſt, idq; in omnibus domibus deinceps obſervandum erit.

2. Dominus tertiæ domus, non tantum qui emergenti ſigno dominatur, ſed etiam intercepto, ſi illud contingat. Idque etiam deinceps in ſequentibus domibus intelligendum eſt, eâdem ratione.

3. Mars, qui ſemper eſt generalis ſignificator fratrum. Sororum vero ſignificatrix Luna.

4. Planeta vel planetæ in tertia collocati.

§. 116. Si igitur hi ſignificatores omnes aut major eorum pars, fœcundi fuerint Planetæ, & in ſignis fœcundis conſtituti, decernunt plures fratres & ſorores: Si ſteriles, & in ſterilibus ſignis,

paucos

paucos aut omnino nullos ſignificant fratres. Quod ſi teſtimonia mediocritatis inciderint, ut ſterilis Planetæ in fœcundo ſigno, aut è contra : mediocris numerus fratrum & ſororum ſignificatur. Idq; pro numero & potentia ſignificatorum, qui vincunt in ſterilitate, vel fœcunditate augetur, vel minuitur. Plerumq; enim illa mediocritas in alteram partem inclinare ſolet, propterea quod non unus, ſed plures ſignificatores conſiderentur.

Planetæ natura fœcundi ſunt.

§. 117. Juppiter & Venus, quibus addi poteſt caput Draconis, cum ſit naturæ Jovis & Veneris.

Planetæ natura ſteriles ſunt.

§. 118. Saturnus & Mars, his additur cauda Draconis, cum ſit naturæ Saturni & Martis.

Luminaria mediocritatem quandam obtinent, ita tamen ut Sol magis accedat ad ſterilitatem propter ſiccita-

tis exceſſum. Lunæ vero natura propter humiditatem magis eſt fœcunda quam ſterilis. Mercurius indifferens eſt, fœcundus cum fœcundis, ſterilis cum ſterilibus. Ejus conditio tamen ex duabus præcipuis circumſtantiis judicatur.

§. 119. 1. Mercurius aſſumit naturam ejus Planetæ, cui aſpectu configuratur, in quo ſemper potior aſpectus eſt præferendus imbecilliori; ut *conjunctio* præfertur *trigonô*, & hic *ſextili*, ſextilis *quadratô*, quadratus *oppoſitioni.* Item *partilis* aſpectus ptæfertur *platico.*

§. 120. 2. Mercurius aſſumit naturam ejus Planetæ, in cujus eſſentiali dignitate ponitur. Hinc efficitur, ut duorum Planetarum naturas Mercurius aſſumere videatur, cum in alterius aliquo aſpectu conſtituitur, & ſimiliter in alterius alicujus dignitatibus verſatur. Sed in hoc caſu conjunctio plus valet dignitatibus eſſentialibus, reliqui aſpectus minus, quàm eſſentiales dignitates.

NA-

NATURA SIGNORUM.

RUM.

§. 121. ARIES propter domicilium, quod Mars ſterilis planeta in eo habet, & Solis exaltationem, cujus mediocritas etiam ad ſterilitatem declinat, ſignum eſt magis ſterile quam fœcundum.

TAURUS magis fœcundum eſt, quã ſterile ſignum, propter domum Veneris fœcundæ, & Lunæ exaltationem, cujus mediocritas fœcunditati, quam ſterilitati, propinquior eſt.

GEMINI ſterile ſignum judicantur, propter domicilium Mercurii, qui per ſe nihil certi decernit, nec obſtat, quod in eo *caput Draconis* exaltatur, cum nõ ſit Planeta, ſed ſectio tantum.

CANCER fœcundum ſignum eſt, propter Lunæ domicilium, quæ magis fœcunda, quam ſterilis eſt, & Jovis fœcundi exaltationem.

LEO propter domicilium Solis, ſterile ſignum exiſtimatur, ſicut & Leonum partus tardior & rarior eſt.

VIRGO, propter domiciliũ & exaltationem Mercurii, qui per ſe nihil perfecti tribuere poteſt, ſterile ſignum eſt, & quamdiu aliqua virgo eſt, ut *Pontanus* inquit, non parit.

LIBRA mediocre ſignum eſt, magis tamen fœcundum, quam ſterilẽ, propter *Veneris* in eo domicilium, & *Saturni* exaltationem.

SCORPIO cum ſit ſignum aqueum, fœcundum æſtimatur, licet Martis dominium ei aliquid detrahat.

SAGITTARIUS fœcundum quidem cenſetur, propter Jovis dominium, ſed detrahit ei tamen aliquid cauda Draconis, ita ut mediocritatem obtineat. Etſi autem *capiti Draconis* ſupra non tribuimus magnas vires, tamen *cauda* longè plus valet ad nocendum, quam *caput* prodeſt, ſiquidem mala facilius nocent, quam bona proſunt.

CAPRICORNUS & AQUARIUS } paucorum liberorum ſigna ſunt, propter *Saturni* dominium in utroq;, & *Martis* in altero exaltationem.

PISCES

PISCES propter domum Jovis, & exaltationem Veneris, utriusq; fœcundi Planetæ, omnino fœcundum, & multorum liberorum ſignum eſt.

DE FORTUNA ET STATU FRATRUM.

§. 122. Ex eadem affectione ſignificatorum de fortuna fratrum judicandum eſt. Si enim omnes, vel major eorum pars fuerint potentes, felicem ſtatum, hoc eſt, longam vitam, honores, gloriam, divitias, fratribus & ſororibus decernunt, unde etiam ad natum commoditas ſit perventura. Contra verò, obſcuros, inglorios, & infelices ſignificant.

§. 123. Quod ſi partim potentes, partim debiles fuerint ſignificatores, aliquibus fratribus mediocritas fortunæ, aliquibus etiam adverſitates portendũtur, ita tamen ut ſemper obſervetur, in quam partem ſe inclinet mediocritas, idq; induſtriæ & acrimoniæ judicantis relinquitur.

§. 124. Hoc etiam obſervandum eſt: ſi omnes ſignificatores, vel major eo-

rum pars fuerint potentes & inter eos etiam Luna benè ſe habuerit, Mars verò debilis; ſignificatur ſorores futuras fortunatiores quam fratres.

§. 125. Contrà ſi omnes aut major ſignificatorum pars fuerit potens, & inter hos Mars quoq; fortis, Luna verò debilis & malè affecta, ſignificat fortunatiores, fore fratres, quam ſorores.

DE CONCORDIA NATI CUM FRATRIBUS ET SORORIBUS.

§. 126. Si inter dominum primæ & tertiæ domus aſpectus benignus interceſſerit, concordiam & mutuam benevolentiam nati & fratrum ac ſororum ſignificat. Si malignus aſpectus, contrarium. Idem, ſi ſe prorſus non aſpexerint, eveniet.

§. 127. Hæc, quæ de fratrum fortuna & mutua benevolentia dicta ſunt, pari ratione etiam ad *conſanguineos* reliquos accommodari poſſunt. Neq; his diutius immorari volo, cum multo certius eadem ex cujusq; propria genitura inve-

inveſtigentur. Nam quod aliqui *Saturnum* fratribus majoribus præficiunt, *Martem* mediis, *Mercurium* minimis, id imbecillum & admodum incertum eſt. Imo totum judicium de fratribus & ſororibus, niſi ex propria cujusq; genitura, collata cum reliquorum fratrum ac ſororum eruatur, ſatis eſt fluxum. Ideoq; in hac parte non plus oportet ſapere Aſtrologum, quàm par eſt, ut ſupra quàm poſſibile ſit, numerū & particularia quæq; exactè ſcrutari velit.

JUDICIUM DE PARENTIBUS.

§. 128. Hoc judicium perinde, ut ſuperius, de fratribus & ſororibus nati, neq; adeò neceſſarium eſt, ut pleraq; alia, neq; adeò certum, ut quæ de propriis effectibus, è genitura nati ſumuntur. Sed tamen cum genituræ *filiorum*, *fratrum*, *ſororum* & *parentum*, ſimilitudinem quandam & convenientiam occultam inter ſe habeant, fit, ut ex filiorum nativitatibus cognoſcantur etiam ferè parentum diſpoſitiones & ſtatus, ſicut

Digitized by Google

ſicut è contra è parentum geneſi qualitates, & accidentia filiorum converſâ ratione generaliter judicari poſſunt. Idque tum maximè cum ſignificatores parentum ſunt inſigniter afflicti, ut ſæpè fit in infauſtis genituris, ubi vel mater in partu extinguitur, vel infantes ex materno utero exſcinduntur &c. Quare de hac quoq; parte doctrinam obſervatam & receptam breviter addemus, hoc monentes tamen, quod potisſima judicia, de accidentibus parentum è primogeniti nativitate ſumantur.

DE PATRE.

§. 129. Significatores Patris in qualibet genitura ſunt.

1. Domus quarta.
2. Dominus ejus.
3. Sol in diurna, Saturnus in nocturna genitura.
4. Planeta vel planetæ in quarta domo ſi qui ibi ſint, etiam adſumuntur.

§. 130. Hi ſignificatores omnes vel majori ex parte potentes & fauſti, illuſtrem

ſtrem & ſplendidam fortunam patris ſignificant, poſt nativitatem filii. Nam de ſtatu, qui nativitatem præceſſit, ſignificare filii nativitas non poteſt, cum nōdū extiterit infans. Quod ſi debiles, infauſti & impediti fuerint iidem ſignificatores, ſignificant humilem, abjectum & inglorium patrem &c.

§. 131. Si partim potentes, partim debiles fuerint, ut mediocritas inde colligatur, erit hæc mediocritas intēdenda vel remittenda, pro natura planetæ, occupantis quartam domum, & ſi plures in eo loco fuerint, potior dignitate anteferendus eſt reliquis.

§. 132. Si quis autem particularia quæque ſcire velit, is multo certius hæc ex propria patris genitura deprehendet. Sic etiam de matre.

DE MATRE.

§. 133. Significatores matris ſunt.

1. Decima domus.
2. Dominus ejus.
3. Venus in diurna geneſi. Luna in nocturna.

4. Planeta, vel planetæ in Xma domo.

§ 134. Hi omnes vel major horũ pars feliciter conſtituta, inſignem matris fortunam ſignificat. Quod ſi malè affecti fuerint, matrem miſeram & afflictã morbis, ægritudinibus & aliis incommodis oſtendunt.

§. 135. Porrò ex collatione ſignificatorum patris & matris colligitur facilè, utrius parentis ſtatus ſit felicior futurꝰ, quoad bona fortunæ, corporis & animi. Cujus enim ſignificatores fortiores erunt, ejus ſtatus judicandus eſt felicior, & major futura ætas.

DE MUTUA CONCORDIA PARENTUM.

§. 136. In diurna nativitate conſidera Solem & Venerem, & juxta eorum inter ſe configurationem, de mutuo amore parentum judica. Si enim Sol aſpexerit Venerem benignô radiô, ut trigonô, aut hexagonô, etiam conjunctione, concordiam & benevolentiam ſignificat. Si verò quadratô, aut oppoſitô radiô, aut ſi in ſeparatis ſignis fuerint, hoc eſt, ſi prorſus nullus aſpectus inter

cos

eos interceſſerit, diſcordia & odium ſignificatur, & hoc malum erit vehementius, ſi ex angulis ſe aſpiciant hoc modô. Item quo partilior fuerit aſpectus, eo major concordia vel diſſenſio erit futura, quo magis platicus, eo minor. &c.

§. 137. In nocturna genitura conſidera Saturnũ & Lunã, & ex horum inter ſe configuratione, eâdẽ ratione de mutuo amore, vel odio parentum judica.

DE AMORE PARENTUM ERGA NATUM, ET UTER EX PARENTIBUS NATUM MAGIS DILIGET.

§. 138. Si ſignificatores parentum, ſupra conſtituti, benignô aſpectu configurantur cum Domino Horoſcopi, amor & concordia inter parentes & natum futura eſt. Contrà ſi malignô aſpectu. Atque inde etiam conſtabit, utrum pater, vel mater, magis diligat natum. Si enim ſignificatores patris pro toto, vel majori parte, benignè configurentur domino Horoſcopi: Matris verò malignè, pater plus diliget natum, quã mater.

DE

DE SIGNIFICATIONIBUS EXCELLENTIS FORTUNÆ EX METALLICARUM FODINARUM CULTURA.

§. 139. Succeſſum & fortunam inſignem ex fodinarum metallicarum cultura duabus regulis, â plurimarum geniturarum, in hoc genere, diligenti cõſideratione ſumptis, trademus, explicaturi & illuſtraturi has obſervationes alibi copioſius exemplis jucundis & memoriâ dignisſimis.

I.

§. 140. Saturnus dominus quartæ domus, aut in quarta domo figuræ cœleſtis, conſtitutus in domicilio vel exaltatione ſua, directus, velox motu, & beneficis Planetis amico aſpectu configuratus, ex fodinarum metallicarum cultura opum & divitiarum affluentiã ſignificat. Et quo fortior eo in loco fuerit, tanto evidentior erit effectus. *Ita conſtitutus fuit in themate Magnifici viri, virtute, prudentiâ & eloquentiâ præſtantis Domini Jacobi Fuggeri ſenioris, qui floruit*

ruit imperante Maximiliano Cæſare, cui etiam chariſſimus fuit. Hic cum generoſis dominis Turzonibus, factâ ſocietate, ex auri venis metallicis in Ungaria incredibiles & immenſos fructus percepit, aliquot annis continuis, adeò, ut hujus viri fortuna ſe ad omnem ejus familiæ extenderit poſteritatem. Et poſſem aliquot exẽpla commemorare eorum, quibus Saturnus hôc modô conſtitutus, maximas divitias, tantum ex metallicis, paucorum annorum ſpatiô largitus eſt.

II.

§. 141. Dominus quartæ domus, receptus ex dignitate eſſentiali, ab alterutro Luminarium, vel alterius luminaris diſpoſitore, ſimiliter inſignẽ fortunam ex metallicis fodinis decernit. *Hujus rei quoq; exempla quam plurima ſcio, ſed memorabile eſt thema viri nobilis & præſtantis Domini Weickmoſeri, in quo Luna quartæ domꝰ domina recipitur ex altitudine â Sole, cum Venere, in ſecũda conſtituto. Pater hujus cũ fodinas infeliciter tractaſſet, adeò ut etiam ære alienô premeretur, moriens, præ dolore animi, ut audio*

audio, filio hæreditatem non leviter obæratam reliquit: quam cum ille adire recuſaret, exoſus metallica, ob patris infelicitatem, tamen â Reverendiſſimo Principe Matthæo Lango Cardinali & Epiſcopo Salisburgenſi, domino ſuo, ut fodinas â Patre coli cæptas continuaret, promiſſâ ſumptuum parte perſuaſus eſt. Cumq; jam tractare cœpiſſet, non ita multo poſtea fortuna ſe obtulit, ut paucis annis incredibilem auri vim ex metallicis collegerit, atq; etiam adhuc colligat quotannis, adeò, ut divitiis non inferior ſit opulentiſſimus in tota Germania familiis.

DE INFIRMITATIBUS ET MORBIS CORPORUM.

§. 142. Valetudo corporis cognoſcitur.

1. Ab horoſcopo & domino ejus.
2. A luminaribus, ſed magis â Luna, quam â Sole.
3. A ſexta & domino ejus
4. A planeta, vel planetis in ſexta domo.

§. 143. In

§. 143. In horum ſignificatorum quolibet duo ſunt conſideranda: primò an ſit fortis vel imbecillis: Secundò, an liber ſit â malignis radiis Saturni & Martis.

Quod ſi omnes hi ſignificatores aut ſaltem eorum maxima pars fuerint fortes & liberi ab oppugnatione hoſtili maleficarum ſtellarum, ſignificant corpora ſana & valida. Contrà, ſi omnes, vel major pars debiles fuerint, & afflicti â maleficis, aut obſeſſi, corpora reddunt imbecillia & multis morbis obnoxia. *Talis fuit conſtitutio in geneſi Illuſtris viri Domini Antonii de Leva, qui ſub auſpiciis Caroli V. Imperatoris maximas res bellô feliciter geſſit, valetudinarius & in lectica circumlatus. Item Clariſſimi & prudentiſſimi viri Bilibaldi Pyrckhameri, Patritii & Senatoris Norimbergenſis, qui domi ſuæ aſſidue ferè decumbens valetudinarius, totam tamen Rempubl. Norimbergenſem conſiliô & autoritate ſua feliciter adminiſtravit.*

§. 144. Et quò plura teſtimonia ſanitatis repereris, eò paucioribus morbis

natum

natum obnoxium fore pronunciabis. Quo plura teſtimonia infirmitatum, eò pluribus morbis. Ex his etiam facilè colligi poteſt, utrum aliquis ſæpè ægrotabit in vita ſua, quod fiet, ſi plures ſignificatores fuerint imbecilles, aut infecti â maleficis, aut utrôq; modô afflicti.

§. 145. Porro de Saturno & Marte ſecundum hanc rationem ſequitur, quod uterque poſſit eſſe & *Significator* & *Autor* morborum ſimul, ut ſi alter eorũ ſit Dominus Horoſcopi, vel ſextæ, & utrôque incommodô laboret, ſit videlicet & imbecillis & infectus ab altero: Interdum *Significator* tantum, cum videlicet alter eorum tantum imbecillis eſt, aut tantum læſus ab altero: Aliquando verò *autor* duntaxat, cum videlicet ipsô non exiſtente ſignificatore, ſuis malignis radiis, ipſos ſignificatores inficit. Reliqui Planetæ omnes tantum poſſunt ſignificatores eſſe, non etiam autores. Ideoq; dupliciter affligi poſſunt, & propria imbecillitate, & malignis radiis *Saturni* & *Martis*. Quod ſi duobus his

modis

modis ſimul affligantur Significatores, effectus erit eò vehementior. Si uno, utpote imbecilitate propriâ, aut ſolô aſpectu maleficorum, minus malum erit, ſed malum tamen, & qvidem eò vehementius, qvo partilior fuerit ille aſpectus, & magis ex angulo oriatur. Hoc prolixius moneo, ut in colligendis teſtimoniis infirmitatum aut valetudinis, cautior ſis. Et hactenus qvidem, an futurus ſit natus ſanus, vel infirma valetudine, & an ſæpiùs ægrotabit, item an vehementer ægrotabit. Reſtat nunc divinatio de generibus morbornm.

§.146. Genera morborum, qvi natum infeſtabunt, deprehenduntur, ex natura eorum ſignificatorum, qvi aut debiles ſunt, aut â maleficis infecti, aut utroq; incommodô ſimul laborant. Deinde ex natura ſigni Zodiaci, qvod ſignificatores illi occupant. Item ex natura malefici, qvi ſignificatores infeſtat. Deniqve pro natura ſignorum, in qvibus malefica infeſtans alios reperitur.

SATURNUS ſignificat

IN CORPORE HUMANO, Aurem dextram, Splenem, Veſicam, Oſſa, Dentes.

MORBOS horum membrorum, ut ſunt omnes morbi frigidi, qvi oriuntur ex defluxu humorum ad membra, nempe Lepra, Cancer, Paralyſis, Tabes, Ictericia nigra, Qvartana febris, Iliaca paſſio, Hydrops, pernitioſi Catharri.

JUPITER ſignificat

IN CORPORE HUMANO Pulmonem, Coſtas, Cartilagines, Epar, Arterias, Pulſum, Semen.

MORBOS harum partium Peripnevmoniam, Apoplexiam, Pleuriſin, Spaſmum, Cardiacam, Anginam, Convulſionem & ſtuporem &c. Item morbos, qvi ex flatibus aut fœtore oriuntur, aut putrefactionibus.

MARS ſignificat

IN CORPORE HUMANO, Aurem Siniſtram, Fel, Renes, Venas, Pudenda.

MORBOS harum partium Peſtem, Apoſtemata ferventia, acutas febres, Ictericiam flavam, Ereſipelas, Carbunculos, Fiſtulas, Epilepſiam, Diſſenteriam, Tertianam & qvotidianam febrim, vulnera præſertim in facie & omnes ægritudines calidas & ſiccas.

SOL ſignificat

IN CORPORE HUMANO, Cerebrum, Nervos, Cor, Viſum, Oculum Dextrum.

MORBOS harum partium, ut ſunt Syncope, παλμός, Cordiaca, Ophtalmia, Fluxus oculorum.

VENUS ſignificat

IN CORPORE HUMANO, Matricem, Renes, Genitalia, Mamillas, Guttur, Lumbos, Epar, Sperma.

MORBOS horum membrorum Paſſiones matricis, ſuffocationem &c. Gonorrheam, Diabeten, Priapiſmum, Epatis & Stochmachi imbecillitatem, Scabiem Gallicam, Lienteriam, Frigus Stomachi.

Digitized by Google

MERCVRIVS ſignificat

IN CORPORE HUMANO Cerebrũ, Spiritus, Imaginationem, Memoriam, Lingvam, Manus & Digitos.

MORBOS harum partium ut ſunt Mania, privatio ſenſus communis, Lethargus, deliria omnis generis, balbuties & lingvæ impedimenta, raucedo, morbus caducus, tuſſis, abundantia ſputi,

LVNA ſignificat

IN CORPORE HUMANO Cerebrum, oculum ſiniſtrum viri, vel dextrum mulieris, Ventriculum, Inteſtina, Veſicam, Guſtum.

MORBOS harum partium, ut ſunt Epilepſia, παράλυσις, Colica, menſtrua, apoſtemata phlegmatica, Oppilationes.

§. 147. Hactenus oſtendere conati ſumus, qvi morbi â qvolibet Planeta ſignificentur. Neqve tamen hæc ita accipienda ſunt, qvaſi eos morbos ſimul omnes afferret ſignificator infirmitatum. Sed hæc ex aliis circumſtantiis judicanda

da ſunt, ut natura ſignorum & locorum cœli, aſpectu ad luminaria & ſimilibus. Exempli gratia; Saturnus ſignificator, vel autor infirmitatum, multos qvidem morbos ſignificat in genere, ſed in ſigno aqveo, & à Sole combuſtus, in ſexta, lepram tantùm portendit &c. Hæc ſpecialia judicia tradere hoc loco non eſt noſtri inſtituti, ſatis eſt hîc indicaſſe generalem rationem componendi judicia, aptam omnibus genituris. Qvæ verò ſpecialia ſunt, ut aphoriſmi, & qvæ ab obſervatione, experientia, & multarum circumſtantiarum conſideratione pendent, ea derogant poſteà his generalibus regulis.

§. 148. Nunc eâdem ratione & ordine exponemus, qvibus membris duodecim ſigna Zodiaci præſint & ſignificent.

Aries ſignificat caput & capitis partes, faciem, oculos, aures, dentes, barbam &c. & harum partium affectiones, ut vulnera in facie, dolores oculorum, ſurditatem, dolores dentium, puſtulas, & nævos in facie, impeteginem &c.

Taurus collum, cervicem, guttur, vocem, &c.

Gemini Humeros, brachia, manus, ſcoptulas.

Cancer Pulmonem, pectus, coſtas, mamillas, epar, ſplenem.

Leo Cor, ſtomachum, dorſum, latera, diaphragma.

Virgo Ventrem, inteſtina, diaphraggma.

Libra lumbos, umbilicum, renes, femora, nates, veſicam.

Scorpio Pudenda, veſicam, anum,

Sagittarius Coxas, femora.

Capricornus Genua.

Aqvarius Tibias.

Pisces Pedes, talos.

§. 149. Ex hac doctrina utcunqve poteris conjicere, qvi morbi natū maxime ſint afflicturi, qvæ vero ad particularem conjecturam pertinent, de vitioſis corporibus, hoc eſt, læſionibus membrorū per ferrum, lapſum ab alto, ignem &c. Cœcitate, vitiis lingvæ perpetuis, diſtorta forma corporis, claudis, gibboſis, & ſimilibus, ea reqvirunt, ut dixi, ſingu-

ſingularem conſiderationem, & aphoriſmis judicantur, neqve â nobis hôc locô tradentur.

AN CURABILES

FUTURI SINT MORBI VEL INCURABILES.

§. 150. Si benifici planetæ loca ſignificatorum vel Autorum feliciter aſpexerint, morbi erunt facile ſanabiles. Si non aſpexerint immedicabiles. Et in hoc judicio obſervandus eſt etiam aſpectus partilis & platicus, qvò magis partilis fuerit, eò, facilius curabitur morbus, qvò magis platicus, eô difficilius curam admittet.

DE SERVIS ET

FAMILIA.

§. 151. Significatores ſervorum & familiæ in omni genitura. Sunt

Sexta domus.

Dominus ejus.

Mercurius, qvi ſemper eſt generalis ſignificator ſervorum.

Planeta, vel Planetæ in ſexta.

§.152. Hi ſignificatores ſi vel omnes, vel major eorum pars, naturâ benefici fuerint aut fortes, ſignificant natum habiturum numeroſam familiam & multos ſervos, eosqve obedientes, frugi & commodos,

Contrà, qvando ſunt natura malefici aut debiles:

§. 153. Hinc conſtat, duo conſiderande eſſe in ſignificatoribus, naturam, qvæ eſt aut beneficia, aut malefica, deinde fortitudinem, aut debilitatem, ſi utrumqve ſimul ſignificatori acciderit ut ſit & beneficus ſuâ naturâ & fortis, ſignificatum erit eò evidentius, ſi alterutrum tantùm, mediocritas inde qvaſi conſtituitur, qvæ deinde ex reliqvorum ſignificatorum teſtimoniis, intendenda, vel remittenda erit.

§. 154. Ex iisdem ſignificatoribus eâdem ratione de parvis animalibus & commoditatibus, eventuris nato ex iis, judicari poteſt.

DE CONJUGIO.

§. 155. Antiqviſſimam & in maxima huma-

humani generis parte obſervatam conjugiorum rationem fuiſſe, unius maris & unius fœminæ legitimam conjunctionem, ſacræ literæ teſtantur. Statim enim poſt creationem hominum expreſsè traditum eſt hoc mandatum. *Erunt duo in carnem unam* id eſt, *inſeparabiliter juncti*. Poſteà vero ex hiſtoriarum lectione manifeſtum hoc qvoqve eſt, qvod qvò qvæqve gens plus honeſtatis & diſciplinæ habuit, eo etiam conjugia habuerit ordinatiora, & vagas libidines ac illicitas commixtiones ſeverius puniverit, ideò conjugiorum conſideratio de tali conjunctione, non de illicitis cohabitationibus & amoribus intelligi debet. Nam ubi plures uxores ſimul haberi poſſunt, qvalis eſt nunc confuſio barbarica apud Mahometanos, & in maxima Africæ parte, vel ubi ex conſtitutionibus plurimi coguntur in impuro cœlibatu vivere, non valet hæc doctrictrina, ſed ibi, ubi liberrimum eſt utrumqve, ut olim, apud omnes gentes, utrumqve liberum fuit omnibus.

§.156. Porrò cum conjugiorum doctrina ampla & utilis ſit, multas habeat circumſtantias, atqve ad utrumqve ſexum pariter referatur, aliter tamen de maſculorum, & aliter, de fœmellarum matrimonio judicetur, diſtingvemus hæc judicia in ſua capita & primum maſculorum conjugia conſiderabimus.

IN VIRORUM CONJNGIIS CONSIDERANDI SUNT HI SIGNIFICATORES.

§.157. *Luna* & *Venus*; qvæ duæ ſtellæ in virorum conjugiis potiſſimum locum habent.

Domus ſeptima, & dominus ejus.

Planeta, vel planetæ in ſeptima domo conſtituti.

Ex horum ſignificatorum conſideratione multæ circumſtantiæ conjugii judicari & explicari poſſunt.

I. Primo: *An abhorreat natus à conjugio nec ne & utrum ducturus ſit uxorem, vel cœlebs manſurus?*

II. De

II. Deinde utrum facile vel cum magna difficultate, ſponſam impetraturus ſit :

III. Tempus: an in prima adoleſcentia, vel poſt maturam ætatem, conjugio implicabitur?

IV. Numerus conjugum, an aliqvoties ſit iteraturus conjugium, vel unam tantum uxorem habiturus in vita ſua.

V. Qvales decernantur uxores, num formoſæ, nobiles, opulentæ, honeſtæ, vel deformes, obſcuræ, viles, pauperes, infames, aut malis moratæ moribus?

VI. De mutuo amore conjugum, & reliqvis, qvæ ad felicem conjugii ſtatum pertinent.

§.158. Primam qvæſtionem, *utrum habiturus ſit natus uxorem nec ne?* variis regulis explicarunt nonnulli, qvas volens omitto, qvia parum certitudinis habent, & generalem modum judicandi, qvi experimentô probatus eſt, & probabili ratione nititur, tradam.

I. Conſiderare oportet omnes ſignificatores, qvomodo affecti ſint, ſed inter hos potiſſimum Lunæ & Veneris ſitum, qvæ ſi ambę in ſignis ſterilibus, ut-

pote *Virgine*, *Leone*, *Geminis*, atqve etiam in locis figuræ cadentibus, *tertia*, *ſexta*, *nona*, *duodecima*, item *octava*, propter malignitatem loci, conſtituantur, conjugium negant & viros cœlibes, aut â conjugio alieniore animô reddunt. Qvod ſi reliqvorum conjugii ſignificatorum teſtimonium acceſſerit, ut ſint ſimiliter in ſignis ſterilibus & domibus cadentibus, effectus eò erit evidentior.

Hæc doctrina bonis rationibus eſt firmata. Qvemadmodum enim ſignificatores fratrum vel liberorum conſtituti in ſignis ſterilibus, atqve in locis cœli abjectis, nullos fratres aut liberos decernunt, ita qvoq; ſignificatores matrimonii, & potiſſimum præcipui ſcilicet Luna & Venus, cum in ejusmodi ſigna & loca incidunt, conjugium abnegant. Perſimilis eſt enim cœlibatus ſterilitati.

§. 159. II. Qvod ſi dicti ſignificatores, & potiſſimum præcipui ex his, videlicet Luna & Venus, non ita conſtituti fuerint, ut jam dixi, vide num alterutra debilis, conjuncta ſit Saturno potenti,

ſola

ſola, & absqve aliis Planetis, alterâ ſimul exiſtente in ſterili ſigno, aut loco cadente, aut aliàs inſigniter afflictâ. Oportet autem ſemper in hoc caſu. Saturnum eſſe potentem, qvod ſi Luna aut Venus fuerint potētiores, Saturnus verò debilis, irrita ut plurimum erit regula.

§. 160. Similis ratio eſt, & idem ſignificatur, ubi Saturnus proximè ſupra utramqve ſignificatricem conjugii ſtellam, videlicet Lunam & Venerem ſimul elevatur, ita ut nullus interveniat Planeneta, qvia in hoc caſu elevatio Saturni ſimilis eſt tali conjunctioni.

§. 161. Hoc præceptum qvoqve evidentem rationem habet. Luna enim & Venus affectionem nati, erga rem uxoriam & legitima connubia ſignificant, qvarum alterutra infeliciter juncta Saturno, autori monaſticæ ſeu ſolitariæ vitæ, hoc eſt cœlibatus, tollit eam affectionem animi, qvæ ad contrahendum matrimonium, incitaret natum, qvæ ſi abfuerit, nunqvam ducet uxorem.

§. 162. Hoc tamen memineris, qvod ſupra dixi, etiam reliqvos ſignificato-

res conjugii eôdem modô examinandos: utrum ſint in ſignis ſterilibus, domo cadente, aut imbecilles conjungantur Saturno potenti. Nam ſi horum teſtimonium ad Lunam & Venerem afflictam acceſſerit, ſine dubio animus à conjugio & re uxoria alienus erit.

§. 163. Item qvod Venus, Saturno oppoſita, vel in ejus qvadrato aſpectu, etiam plurimum valeat ad cœlibatum, Luna tamen ſimul exiſtente in ſigno ſterili, vel loco cadente. Idqve magis ſi ex reliqvis ſignificatoribus etiam aliqvi in ſignis ſterilibus, vel locis cadentibus conſtituuntur. Sed Luna oppoſita Saturturno vel in ejus qvadrato aſpectu, minus nocet & imbecillior eſt, qvam ut tale qvidpiam minetur, etiamſi Venus ſimul ſit in ſigno ſterili &c.

UTRUM FACILE
VEL MAGNA CUM DIFFICULTATE SPONSAM SIT IMPETRATURUS NATUS.

§. 164. Hac, & ſeqventibus qvæſtionibus non eſt opus, ubi conſtiterit de cœli-

cœlibatu, ſi vero fuerint ſignificationes conjugii, qværuntur etiam reliqvæ circumſtantiæ. Porrò hujus qvæſtionis judicium ſumitur ab omnibus conjugii ſignificatoribus, qvorum ſi major pars fortis fuerit, facilè impetrabit ſponſam, eoq; facilius, qvò plures, fuerint fortes. Si debiles, difficilius; eoqve majori cum difficultate, qvò plures fuerint debiles. Qvod ſi omnes ita affecti fuerint, ſæpè excidet ſponſa, & magnam in ambiendo difficultatem experietur. Si partim potentes, partim debiles fuerint, ita ut mediocritatem ſignificare videantur, reſpiciendum eſt ad Lunam & Venerem, & pro eorum ſtatu ſignificatio mediocritatis intendenda vel remittenda erit. Nam ſi illæ duæ etiam in numero imbecillium ſignificatorum fuerint, difficultatem magis, qvam facilitatem, minantur.

§. 165. Conſideranda eſt etiam natura ſignificatorum, nam benefici felicem ſucceſſum ſignificat, eoqve magis, ſi fuerint fortes. Malefici, adverſitatem & difficultatem, & eo majorem, ſi imbe-

cilles

cilles fuerint: Sin fortes, largiuntur qvidem aliqvid, ſed tamen non citra difficultatem.

§. 166. Aſt autem ſolerti induſtriâ & acri judiciô opus in his conſiderationibus, propter magnam & propè infinitam circumſtantiarum varietatem in ſignificatoribus, qvæ regulis omnes neqveunt comprehendi, aut ita deſcribi, pariter omnibus caſibus ſatis faciant. Nos ſummam operam dedimus ut qvoad fieri poſſet, judicia extenderemus ad generalem qvandam rationem, ut omnibus genituris accommodari poſſent.

TEMPUS CONJUGII.

§. 167. Si omnes ſignificatores conjugii, vel eorum major pars, & inter hos etiam Luna, â Sole orietales, & in qvadrantibus cœli orientalibus fuerint, utpote 10. 11. 12. vel 4. 5. 6. domibus, in prima adoleſcentia conjugium futurum ſignificant, aut poſt maturam ætatem juvenculam uxorem decernunt.

§. 168, Oc-

§.168. Occidentales â Sole, & in occidentalibus qvadrantibus figuræ cœli, vel tardius contracturos matrimonium vel in juventute viduas, anus, natu grandes ducturos denotant.

§.169. Præter hæc etiam conſidera *motus ſignificatorum*, qvi ſi fuerint directi & veloces motu, decernunt ſimiliter conjugium in adoleſcentia, ut orientales. Retrogradi, tardi motu, vel ſtationarii, tardius &c.

§.170. Hæc omnia ſimul in judicium aſſumi, & inter ſe conferri debent. Ubi verò, in collectione teſtimoniorum, in utramqve partem declinant ſignificatores, inter ſe diſcrepantes, judicium ferendum eſt ſecundum eos ſignificatores cum qvibus conſentiunt Luna, & Venus, præcipué vero Luna.

DE NUMERO CONJUGUM.

§.171. Generalis regula eſt: conſiderandos eſſe omnes ſignificatores conjugii, qvi ſi omnes vel majori ex parte in ſignis aqveis, hoc eſt fœcundis, utpote Can-

Cancro, Scorpione, Piſcibus verſentur, decernunt ferè plures uxores. Contrà, ſi in ſterilibus, ut ſunt Virgo, Leo, Gemini.

§. *172*. Veruntamen ex ſignificatoribus omnibus præcipuum & evidentiſſimum judicium præbent Luna & Venus, qvia potiorem ſignificationem, in matrimonio virorum obtinent, adeò, ut Luna in ſeptima domo, in qvocunq; ſit ſigno, propter ſuam, & loci naturam, fere ſemper plures uxores decernat, niſi ſit inſigniter à Saturno, & radiis Solis impedita.

Specialiora autem ſunt hæc judicia.

§. 173. I. Luna conjuncta unico tantum Planetæ ſive πλατικῶς ſive *μοιρικῶς* tantum unicam uxorem deſignat. Ubi hoc ſimul obſervatione digniſſimũ notabis, cum Luna unico tantum Planetæ eſt conjuncta, & potentior eſt, qvã is, cui conjungitur, maritus uxori ſuperſtes erit: Si vero Planeta, cui uni Luna juncta eſt, potentior fuerit qvam ipſa

Luna, maritus præmorietur uxori. *Hujus judicii plurima habeo experimenta.*

§.174. 2. Si Luna nullis planetis jungitur corpore, conſidera, qvot eam planetæ directi, liberiq; â radiis Solis, nec in detrimento, vel caſu ſuo, partiliter aſpiciant, vel ei jungantur corpore, ita tamen ut Luna eis non ipſi Lunæ applicent. (Solis autem configuratio ad Lunam non conſideratur.) Nam inde numerum uxorum conjicies.

§.175. Conſideranda eſt præterea ſimul qvalitas ſigni, vel ſignorum, in qvibus Planetæ, Lunam aſpicientes, vel ei juncti, conſtituuntur. Fœcundum enim aut bicorporeum ſignum duplicat numerum uxorum.

§.176. 3. Qvod ſi id non fit, videlicet ut Luna applicet Planetis, qvi eam aſpiciant, aut ei jungantur, vide qvot Planetæ directi, & â combuſtione, radiisqve Solis liberi, conſtituantur inter medium cœli & Venerem, progrediendo â medio cœli verſus horizontem orientalem, tot enim habebit uxores natus.

§.177. Si

§.177. Si intermedii Planetæ retrogradationis, aut combuſtionis vitiô laboraverint, & tamen in ſuis eſſentialibus dignitatibꝰ fuerint, puta domicilio, vel exaltationē, vel mutua receptione, ex iisdem dignitatibus, etiam in numerum adſumuntur.

§ 178. 4. Ubi neqve hujus regulæ uſus eſſe poteſt, conſidera, qvot Planetæ dominum ſeptimæ domus partiliter aſpiciant, ſive ſint illi retrogradi ſive combuſti, & inde numerum uxorum collige. Fieri autem vix poteſt, qvin harum regularum una ſaltem ſe accommodet ad uſum. Habes igitur univerſalē qvandam & ſimul ſpecialem doctrinam, in hac parte.

QVALES DECERNANTUR NATO UXORES.

§. 179. Hoc judicium magis conſtat ex aphoriſmis & ſpecialibus præceptis, qvam generali ſeu univerſali doctrina. Attamen ut ordinem hactenus obſervatum ſeqvamur, ſit hæc generalis obſervatio. Ubi de numero uxorum conſti-

terit.

terit ex Planetis, Lunam aſpicientibus, vel ei corpore junctis, eâ ratione, ut in præcedenti loco dixi, videlicet Lunâ ad eos applicante &c. tunc conſidera naturam Planetæ, vel Planetarum, Lunam ſic aſpicientium, per conjunctionem, vel alium radium, & ex eorum natura judicium ſume, de qvalitate uxorum.

§. 180. *Saturnus* uxorem promittit Saturninam, hoc eſt, (ſi bene afficitur,) taciturnam, gravem, conſultam, parcam, laborioſam &c. Malè affectus, tetricam, moroſam, ſuſpicacem, pertinacem, invidam, pigram &c.

Juppiter ſi feliciter conſtituatur, piam, manſvetam, caſtam, nobilem, honeſtam, œconomicam &c. Si infeliciter ſignificat qvidem eas virtutes, ſed fucatas, imperfectas, & conjunctas cum aliqva labe.

Mars benè affectus, cordatam, animoſam, impatientem ſervitutis & injuriarum, vindictæ & dominii cupidam, iracundam &c. Male affectus, ri-

xoſam

xoſam, contumacem, violentam, ſumptuoſam, infamem &c.

Venus ſi feliciter conſtituatur, formoſam, lepidam, ſvavem, urbanam, affabilem, honeſtam &c. Si infeliciter decernit eadem, ſed imperfectius & ſimulatum qviddam.

Mercurius benè affectus, ingenioſam, circumſpectam, facundam, ſagacem, & victui parando idoneam &c. Malè affectus, callidam, aſtutam, mendacem, aliud corde, aliud ore prementem, inſtabilem, malitioſam &c.

Luminaria ad hanc conſiderationem non adhibentur.

§. 181. Et hæc qvidem ad animum pertinent. Qvod ſi de ſtatura corporis etiam conjicere aliqvid libet, compone judicia ex doctrina de natura planetarum, & ſignorum in figura & configuratione corporis conſtituenda, qvam ſupra de forma & ſtatura corporis expoſuimus.

§. 182. De divitiis autem uxoris conſidera

ſidera eosdem Planetas, qvos jam dixi, videlicet qvi Lunam applicantem aſpiciant, per conjunctionem vel alium radium &c. Qvod ſi iidem fuerint benefici & potentes, decernunt uxorem divitem, opulentam, nobilem, aut ex claro genere. Si malefici & debiles, contrarium.

§. 183. In ſpecie autem benigni planetæ in ſeptima, præſertim ſi potentes ſint, opulentas & nobiles uxores ſignificant. Malefici ibidem & imbecilles, ſignificant pauperes, ignobiles, Si verò malefici fortes fuerint, divites qvidem, ſed malitioſas, & omnino imperfectius aliqvid, aut cum labe conjunctum, decernunt.

§. 184. Hæc conſideratio inter omnes regulas maximè univerſalis eſſe videtur in judicio de qvalitate uxorum, & vix invenies aliqvam generaliorem, hoc eſt, qvæ ad plures nativitates accommodari poſſit. Specialia præcepta plurima ſunt, qvalia ſunt iſta.

Dominus ſeptimæ in 10. vel contra, domi-

dominus decimæ domus in ſeptima nobilem promittit uxorem.

Dominus ſecundæ in ſeptima, vel dominus 7. in 2. divitem, opulentam.

Dominus ſeptimæ in 12. vel è contra, ſervam, pauperem, ignobilem, uxorem decernit. Et ſimilia, qvæ alibi colligemus. Hic enim tantùm univerſalia tradimus.

DE MUTUO AMORE ET CONCORDIA CONJUGUM.

§. 185. Conſidera Planetam vel Planetas numerum uxorum decernentes, juxta ſuperiorem doctrinam, qvod ſi illi benigni fuerint, & Lunam benignô aſpectu intueantur, mutuum amorem, ſvavem conſvetudinem, perpetuam benevolentiam, ac felicem conjugii ſtatum promittunt.

§. 186. Si verò malefici fuerint, & Lunam inimicô aſpectu intuentur, levi occaſione diſcordabunt conjuges, & alienati à ſe mutuo prorſus non convenient.

§. 187. Si autem Planeta beneficus malignô aſpectu Lunam aſpexerit, mediocriter inter ſe convenient conjuges, & in plerisqve concordabunt. Contra ſi malignus Planeta benignô radiô Lunam intueatur, itidem mediocriter inter ſe convenient, ſed in plerisq; tamen diſcordabunt, qvia maleficorum benignus radius ſicut plus declinat ad noxam, ita benignorum inimicus radius minus nocet.

§. 188. In mediocribus habenda eſt ratio aſpectus benigni, vel maligni. Nam ſi mediocris Planeta, utpote Mercurius, aſpexerit Lunam inimicô radiô, facilius nocet, qvam cum idem benignô radiô Lunam intuens prodeſt, cum ejus natura per ſe inconſtans ſit, & mala faciliùs ac magis noceant, qvâm bona proſint.

§. 189. Qvæ autem nunc dixi de benigno vel maligno aſpectu, ea ad Lunam, vel dominum ſeptimæ tantum poſſunt referri, non etiam ad alios ſignificatores. In eo caſu ubi ſignificator vel ſignificatores, mutui amoris ſumun-

tur, ex planetis, inter medium Cœli & Venerem conſtitutis, non conſiderantur amici vel inimici aſpectus, ad Lunam, ſed tantùm, utrum ſint benigni, aut maligni planetæ, & utrum benè locentur aut ſecus. Poſtremò ſciendũ eſt, multo certius judicium de concordia eſſe, qvod ſumitur ex collatione & conſenſu genituræ utriusqve mariti & uxoris, qvæ doctrina apud Ptolemæum lib. 4. tradita eſt, & nos qvoqve eam in alio opere latius explicabimus. Hæc tamen uſum ſuum habent tunc, qvando utriusqve genitura haberi non poteſt, item ante contractum matrimonium.

DE CONJUGIO
MULIERUM
SIGNIFICATORES SUNT:

§. 190. 1. Sol & Mars, hi duo in fœmellarum conjugiis potiſſimum autoritatem habent.

2. Domus ſeptima & dominus ejus.

3. Planeta vel Planetæ in ſeptima.

§. 191. Ex horum ſignificatorum diſpoſitione, qvalitate & poſitu omnia ea judi-

judicari ſolent, qvæ hactenus de virorum conjugiis tradita ſunt, ita tamen ut in omni conſideratione Solem hic adhibeas pro Luna, & illi hîc tantum tribuas qvantum in virili connubio Lunæ tribuebas. Pro Venere autem Martem. Reliqvi ſignificatores manent, & nihil mutant.

§. 192. Iterum autem hîc moneo in judiciis ſingulari diligentiâ & acri judiciô ſignificatores eſſe examinandos, an ſint fortes vel imbecilles & eorum congruentiam vel diſcrepantiam in eodem ſignificatu ſumma induſtriâ animadvertendam. Rariſſimè autem omnes ſignificatores exactè inter ſe conveniunt. Sed ſemper ferè aliqva contrarietas reperitur, qvæ concilianda eſt juxta plurimorum teſtimoniorum congruentiam. Qvod ſi ea ſignificatorum contrarietas fuerit exacta, & ab utraqve parte ſibi par, ſemper præferendi ſunt illi planetæ, qvi in ipſis domibus conſiſtunt, plus enim valet præſentia corporalis, qvam dominium abſentis planetæ. Si vero Planeta exiſtẽs in loco ſignificante,

inſuper etiam in domo ſua fuerit, non dubium eſt, præſentiam domini plurimum prodeſſe.

DE LIBERIS

§. 193. Poſt conjugiorum conſiderationem aptè ſeqvitur judicium de liberis. Supra autem dixi, ea, qvæ magis ad alium, qvam ad ipſum natum pertinent, obſcuriorem conſiderationem habere. Ideoqve & hoc judicium imbecillius eſt, cum ad alios, non ad proprios nati effectus pertineat. Certius tamen eſt, qvam ſuperiora de fratribus & ſororibus; qvia liberi originem ſumunt â nato, & ejus naturæ velut pars ſunt. Fratres verò & Sorores longius diſtant. Itaqve liberi majorem participationem & συμπάθειαν habent cum nato, qvàm fratres, aut ſorores.

§. 194. I. Pro liberis igitur conſidera *domum qvintam*, deinde *undecimā & primam*. Qvod ſi in eis Planetæ fœcundi fuerint, prolem promittunt. Si ſteriles hæc loca occupant, ſignificant natum, non procreaturum liberos.

§.195. Planetæ fœcundi, ſeu prolem largientes, cenſentur Juppiter, Venus, Luna, item caput Draconis. Steriles, Saturnus, Mars, Sol, & cauda Draconis.

§.196. Mercurius cum indifferens incertæ naturæ ſit, judicandus eſt ſecundum illam Planetam, cujus naturam aſſumit, vel per aſpectum aliqvem, qvô eum intuetur, vel in cujus eſſentiali dignitate conſtituitur, ſicut ſupra hæc copioſius explicavimus in judicio *de fratribus* &c.

§.197. Qvod ſi fœcundus Planeta fuerit in qvinta, & è contrà ſterilis in 11. domo, potior erit locus qvinta domus, & præferendus ille Planeta, qvi eſt in qvinta, ac dices natum habiturum liberos. E contra ſi malignus qvintam occupaverit, & fœcundus undecimam, ſterilitatem minari magis ſcias, qvam liberos promitti.

§.198. 2. Qvod ſi nullus Planeta in his locis fuerit, proximum eſt, ut conſideres dominum qvintæ domus. Si is fuerit fœcundus Planeta, procreabit liberos, ſi ſterilis, nullos.

Imò etiam, ſi qvis Planeta in his domibus, qvas dixi, conſtituatur, tamen ſimul utiliter poteris conſiderare dominum qvintæ. Nam ſi horum teſtimonia conſenſerint, tanto melius ſe res habet.

§.199. Poſteà etiam expendenda eſt natura ſignorum, inqvibus Planetæ ſignificantes ſterilitatem vel fœcunditatem conſtituuntur, an ſint ſterilia fœcunda vel mediocria. Et horum qvalitas diligenter, ut ita dicam, permiſcenda & conferenda eſt, cum Planetarum natura. Si enim fœcundus Planeta iter faciat per fœcundum ſignum, præſertim in qvinto loco cœli, evidens eſt ſignificatum nato futuros liberos. Contrarium, ſi ſterilis Planeta in ſigno ſterili verſetur. Fœcundus autem in ſterili ſigno, mediocritatem efficit, ad qvam neceſſe eſt, conferri reliqvorum teſtimonia. Sterilis verò naturâ planeta in fœcundo ſigno, parum poteſt.

Ita demum ſecundum numerum teſtimoniorum, qvæ vincunt, judicium componendum eſt, utrum natus habiturus ſit liberos, nec ne.

§.200.

§.200. Porrò de numero in genere, conſtabit ex teſtimoniorum collectione, qvo enim plures Planetæ fœcundi in illis domibus, qvas dixi, & ſignis fœcundis conſtituti fuerint, eò majorem numerum liberorum decernunt. Et contra, qvo pauciores, & in ſterilibus ſignis, eò minorem. Planetæ autem fœcundi in ſignis bicorporeis, duplicant numerum liberorum, in fœcundis triplicant.

§.201. Maſculam prolem promittunt Planetæ maſculini orientales, in ſignis, domibus & gradibus maſculis, Fœminei Planetæ occidentales, in ſignis, domibus & gradibus fœmineis fœmellas.

§.202. Qvod ſi omnes Planetæ, qvi liberos decernunt, aut eorum major pars, potentes fuerint, robuſtos, longævos, celebres, claros, & felices liberos promittunt, ex qvibus ad parentes plurima commoda ſint perventura.

Contrà, ſi imbecilles fuerint, abjectos, obſcuros, inglorios, imbecilles, valetudinarios, vel brevis vitæ liberos ſignificant &c.

§. 203. Etſi inter dominum primæ & qvintæ benignus aſpectus intercesſerit, mutuus amor & concordia erit inter Patrem & liberos. Si inimicus aſpectus, vel prorſus nullus, liberi contendendent cum parentibus, & ſimultatẽ exercebunt. Sed hoc certius ex collatione geniturarum deprehenditur. Attulimus autem hæc præcepta magis, ut cupido lectori ſatisfaceremus, qvæ qvamqvam ſunt imbecillia, tamen ſi ſignificatores evidentes in hac parte ſint, ſæpè his effectus reſpondebit.

DE ITINERIBUS.

§. 204. Significationes itinerum & & peregrinationes ſumuntur.

A *Nona domo & dominio ejus.*

A *Planeta, vel Planetis in nona.*

A *Luna & Mercurio.* Luna qvidem, qvia vagabunda eſt & velox; Mercurius verò, qvia inſtabilis & verſatilis.

§. 205. I. Ex his omnibus ſignificatoribus ſumuntur judicia, utrum natus ſit peregrinaturus ad exteros, idqve an ſæpius, vel aſſiduè, ita ut tota vita,

converſatio & actio apud exteros ſit futura, an verò rarius & interdum tantum?

2. Ubi conſtiterit, nato decerni itinera, conſiderantur hæ præcipuæ circumſtantiæ, in qvam partem mundi futuræ ſint peregrinationes, reſpectu ſitus Patriæ. Qvod ſi in diverſas partes ſignificatur eum profecturum, verſus qvam potisſimum?

3. Qvæ futuræ ſint cauſæ principales itinerum?

4. Qvales futuræ ſint peregrinationes, qvalia itinera, fortunata ne, an infortunata, periculoſa & ſucceſſu carentia?

§. 206. Qvod ad primam qvæſtionem attinet, conſidera antedictos ſignificatores, potisſimum verò *Lunam* & *Mercurium*. Qvi ſi inter ſe conjuncti fuerint, aut in mutua receptione, aut conjuncti, vel recepti à domino primæ, vel nonæ domus, item ſi occupaverint vel nonam, vel tertiam, vel primam, aut in eis dominium habuerint, omnino decernunt itinera. Idem facit dominus

nonæ in prima, vel primæ in nona, aut qvando hi ſimul junguntur. Sol præterea in domicilio Lunæ, vel Mercurii, aut in horum eſſentiali receptione, vel etiã conjunctus Lunæ vel Mercurio, vel utriqve ſimul, affert peregrinationes. Idem denotat Mercurius in domo Lunæ, vel è contra Luna in domo Mercurii.

Ergo qvo plures, ſecundum hanc doctrinam, ſignificationes itinerum collectæ fuerint, eò freqventiora & longinqviora itinera natus faciet.

§. 207. Contrà minora & non freqventia, ſed per intervalla, qvo pauciores ſignificationes inveniuntur.

§. 208. Qvod ſi nulla penitus harum ſignificationum ſe ad aliqvam genituram accommodaverit, nimium amans erit patriæ ſic natus, & vitam maxima ex parte domi deſidens aget, vix alio patriam qværens ſub Sole jacentem.

II.

PLAGA MUNDI.

§. 209. Si nulla faciet itinera natus, non opus eſt ulteriore qvæſtione. Ubi verò

verò evidentes ſunt ſignificationes itinerum, qværitur, in qvam mundi plagam potisſimum futuræ ſint peregrinationes.

Judicium autem ſumitur primò à Planetis, peregrinationem decernentibus, ſecundò à ſignis Zodiaci, in qvibus ſunt Planetæ decernentes itinera.

§.210. Planetæ *Orientales*, hoc eſt, qvi præſunt orienti, videlicet Sol & Saturnus, decernunt itinera reſpectu patriæ verſus orientem.

Meridionales, ut Venus, verſus meridiem.

Occidentales, ut Mars & Luna, verſus occidentem.

Septentrionales, ut Juppiter, verſus Septentrionem.

Mercurius indifferens & incertæ naturæ eſt, conjunctus orientali vel in ejus dignitate eſſentiali, orientalis eſt, & ſic de reliquis. Sed cum Luminaribus conjunctus non transformatur, niſi eorum eſſentialem dignitatem poſſederit.

§. 211. Signa autem conſiderantur ſecundum trigonos.

Igneus trigonus, videlicet Aries, Leo, Sagittarius, decernunt peregrinationem in Orientem.

Aërius, Gemini, Libra, Aqvarius in Occidentem.

Terreus, Taurus, Virgo, Capricornus in meridiem.

Aqveus, Cancer, Scorpio, Piſces in Septentrionem.

§.212. Colligantur igitur teſtimonia pariter à natura Planetarum, itinera decernentium, & ſignorum, in qvibus Planetæ illi conſtituuntur. Ex ex teſtimoniorum congruentia, judicium fiat de plaga mundi certa. Conſtabit autem facile ex eadem collectione, utrum in diverſas partes ſit peregrinaturus, & in qvam potisſimum ac ſæpius.

III.
CAUSÆ ITINERUM.

§. 213. Hæ ſimiliter duobus modis deprehenduntur. Primum è natura Planetarum, qvi ſignificant nato futura itinera, ſecundo à domorum ſignificatio-

tione,in quibus iidem Planetæ verſantur. Supra autem dixi, planetas duo ſignificare, res & perſonas. Qvare ſi Planetæ, decernentes itinera, conjungantur Saturno,aut in ejus eſſentiali dignitate ſint, vel ipſe Saturnus ſignificator exiſtat, oſtenditur, cauſam itineris futuram res Saturninas, ut fodinas metallicas, ædificationes, hæreditates mortuorum: Aut perſonas Saturninas, ut ſenes,avaros, agricolas &c.Si Jovi,cauſa erit religio, honor, jurisprudentia, beneficia Eccleſiaſtica &c.Aut perſonæ, qvæ talia adminiſtrant,ut Epiſcopi prælati, nobiles, judices, magnanimi &c. Et ſic de reliquis planetis, qvorum omnium ſignificationes,quia ſupra in loco de diuitiis expoſui, hîc longiorem commemorationem omitto.

§. 214. Deinde conſiderandæ ſunt ſignificationes domorum, in qvibus conſtituuntur Planetæ, decernentes itinera. Nam in prima domo ſignificant itinera ſuſcepta â qvodam naturali amore peregrinandi. In ſecunda domo cauſa contractuum, emptionis, vendi-

tur, ex planetis, inter medium Cœli & Venerem conſtitutis, non conſiderantur amici vel inimici aſpectus, ad Lunam, ſed tantùm, utrum ſint benigni, aut maligni planetæ, & utrum benè locentur aut ſecus. Poſtremò ſciendũ eſt, multo certius judicium de concordia eſſe, qvod ſumitur ex collatione & conſenſu genituræ utriusqve mariti & uxoris, qvæ doctrina apud Ptolemæum lib. 4. tradita eſt, & nos qvoqve eam in alio opere latius explicabimus. Hæc tamen uſum ſuum habent tunc, qvando utriusqve genitura haberi non poteſt, item ante contractum matrimonium.

DE CONJUGIO MULIERUM SIGNIFICATORES SUNT:

§. 190. 1. Sol & Mars, hi duo in fœmellarum conjugiis potiſſimum autoritatem habent.

2. Domus ſeptima & dominus ejus.

3. Planeta vel Planetæ in ſeptima.

§. 191. Ex horum ſignificatorum diſpoſitione, qvalitate & poſitu omnia ea judi-

judicari ſolent, qvæ hactenus de virorum conjugiis tradita ſunt, ita tamen ut in omni conſideratione Solem hic adhibeas pro Luna, & illi hîc tantum tribuas qvantum in virili connubio Lunæ tribuebas. Pro Venere autem Martem. Reliqvi ſignificatores manent, & nihil mutant.

§. 192. Iterum autem hîc moneo in judiciis ſingulari diligentiâ & acri judiciô ſignificatores eſſe examinandos, an ſint fortes vel imbecilles & eorum congruentiam vel diſcrepantiam in eodem ſignificatu ſumma induſtriâ animadvertendam. Rariſſimè autem omnes ſignificatores exactè inter ſe conveniunt. Sed ſemper ferè aliqva contrarietas reperitur, qvæ concilianda eſt juxta plurimorum teſtimoniorum congruentiam. Qvod ſi ea ſignificatorum contrarietas fuerit exacta, & ab utraqve parte ſibi par, ſemper præferendi ſunt illi planetæ, qvi in ipſis domibus conſiſtunt, plus enim valet præſentia corporalis, qvam dominium abſentis planetæ. Si vero Planeta exiſtẽs in loco ſignificante,

inſuper etiam in domo ſua fuerit, non dubium eſt, præſentiam domini plurimum prodeſſe.

DE LIBERIS

§. 193. Poſt conjugiorum conſiderationem aptè ſeqvitur judicium de liberis. Supra autem dixi, ea, qvæ magis ad alium, qvam ad ipſum natum pertinent, obſcuriorem conſiderationem habere. Ideoq́ve & hoc judicium imbecillius eſt, cum ad alios, non ad proprios nati effectus pertineat. Certius tamen eſt, qvam ſuperiora de fratribus & ſororibus; qvia liberi originem ſumunt â nato, & ejus naturæ velut pars ſunt. Fratres verò & Sorores longius diſtant. Itaqve liberi majorem participationem & *συμπάθειαν* habent cum nato, qvàm fratres, aut ſorores.

§. 194. I. Pro liberis igitur conſidera *domum qvintam*, deinde *undecimā & primam*. Qvod ſi in eis Planetæ fœcundi fuerint, prolem promittunt. Si ſteriles hæc loca occupant, ſignificant natum, non procreaturum liberos.

§. 195.

§.195. Planetæ fœcundi, ſeu prolem largientes, cenſentur Juppiter, Venus, Luna, item caput Draconis. Steriles, Saturnus, Mars, Sol, & cauda Draconis.

§.196. Mercurius cum indifferens incertæ naturæ ſit, judicandus eſt ſecundum illam Planetam, cujus naturam aſſumit, vel per aſpectum aliqvem, qvô eum intuetur, vel in cujus eſſentiali dignitate conſtituitur, ſicut ſupra hæc copioſius explicavimus in judicio *de fratribus* &c.

§.197. Qvod ſi fœcundus Planeta fuerit in qvinta, & è contrà ſterilis in 11. domo, potior erit locus qvinta domus, & præferendus ille Planeta, qvi eſt in qvinta, ac dices natum habiturum liberos. E contra ſi malignus qvintam occupaverit, & fœcundus undecimam, ſterilitatem minari magis ſcias, qvam liberos promitti.

§. 198. 2. Qvod ſi nullus Planeta in his locis fuerit, proximum eſt, ut conſideres dominum qvintæ domus. Si is fuerit fœcundus Planeta, procreabit liberos, ſi ſterilis, nullos.

Imò etiam, ſi qvis Planeta in his domibus, qvas dixi, conſtituatur, tamen ſimul utiliter poteris conſiderare dominum qvintæ. Nam ſi horum teſtimonia conſenſerint, tanto melius ſe res habet.

§.199. Poſteà etiam expendenda eſt natura ſignorum, inqvibus Planetæ ſignificantes ſterilitatem vel fœcunditatem conſtituuntur, an ſint ſterilia fœcunda vel mediocria. Et horum qvalitas diligenter, ut ita dicam, permiſcenda & conferenda eſt, cum Planetarum natura. Si enim fœcundus Planeta iter faciat per fœcundum ſignum, præſertim in qvinto loco cœli, evidens eſt ſignificatum nato futuros liberos. Contrarium, ſi ſterilis Planeta in ſigno ſterili verſetur. Fœcundus autem in ſterili ſigno, mediocritatem efficit, ad qvam neceſſe eſt, conferri reliqvorum teſtimonia. Sterilis verò naturâ planeta in fœcundo ſigno, parum poteſt.

Ita demum ſecundum numerum teſtimoniorum, qvæ vincunt, judicium componendum eſt, utrum natus habiturus ſit liberos, nec ne.

§.200. Porrò de numero in genere conſtabit ex teſtimoniorum collectione,qvo enim plures Planetæ fœcundi in illis domibus, qvas dixi, & ſignis fœcundis conſtituti fuerint, eò majorem numerum liberorum decernunt. Et contra, qvo pauciores,& in ſterilibus ſignis, eò minorem. Planetæ autem fœcundi in ſignis bicorporeis, duplicant numerum liberorum, in fœcundis triplicant.

§.201. Maſculam prolem promittunt Planetæ maſculini orientales, in ſignis, domibus & gradibus maſculis,Fœminei Planetæ occidentales, in ſignis, domibus & gradibus fœmineis fœmellas.

§.202. Qvod ſi omnes Planetæ, qvi liberos decernunt, aut eorum major pars, potentes fuerint, robuſtos,longævos, celebres, claros, & felices liberos promittunt, ex qvibus ad parentes plurima commoda ſint perventura.

Contrà, ſi imbecilles fuerint, abjectos,obſcuros,inglorios, imbecilles,valetudinarios, vel brevis vitæ liberos ſignificant &c.

§. 203. Etſi inter dominum primæ & qvintæ benignus aſpectus intercesſerit, mutuus amor & concordia erit inter Patrem & liberos. Si inimicus aſpectus, vel prorſus nullus, liberi contendendent cum parentibus, & ſimultatẽ exercebunt. Sed hoc certius ex collatione geniturarum deprehenditur. Attulimus autem hæc præcepta magis, ut cupido lectori ſatisfaceremus, qvæ qvamqvam ſunt imbecillia, tamen ſi ſignificatores evidentes in hac parte ſint, ſæpè his effectus reſpondebit.

DE ITINERIBUS.

§. 204. Significationes itinerum & & peregrinationes ſumuntur.

A *Nona domo & dominio ejus.*

A *Planeta, vel Planetis in nona.*

A *Luna & Mercurio.* Luna qvidem, qvia vagabunda eſt & velox; Mercurius verò, qvia inſtabilis & verſatilis.

§. 205. I. Ex his omnibus ſignificatoribus ſumuntur judicia, utrum natus ſit peregrinaturus ad exteros, idqve an ſæpius, vel aſſiduè, ita ut tota vita,

cor-

converſatio & actio apud exteros ſit futura, an verò rarius & interdum tantum ?

2. Ubi conſtiterit, nato decerni itinera, conſiderantur hæ præcipuæ circumſtantiæ, in qvam partem mundi futuræ ſint peregrinationes, reſpectu ſitus Patriæ. Qvod ſi in diverſas partes ſignificatur eum profecturum, verſus qvam potisſimum?

3. Qvæ futuræ ſint cauſæ principales itinerum?

4. Qvales futuræ ſint peregrinationes, qvalia itinera, fortunata ne, an infortunata, periculoſa & ſucceſſu carentia ?

§. 206. Qvod ad primam qvæſtionem attinet, conſidera antedictos ſignificatores, potisſimum verò *Lunam* & *Mercurium*. Qvi ſi inter ſe conjuncti fuerint, aut in mutua receptione, aut conjuncti, vel recepti à domino primæ, vel nonæ domus, item ſi occupaverint vel nonam, vel tertiam, vel primam, aut in eis dominium habuerint, omnino decernunt itinera. Idem facit dominus

nonæ in prima, vel primæ in nona, aut qvando hi ſimul junguntur. Sol præterea in domicilio Lunæ, vel Mercurii, aut in horum eſſentiali receptione, vel etiã conjunctus Lunæ vel Mercurio, vel utriqve ſimul, affert peregrinationes. Idem denotat Mercurius in domo Lunæ, vel è contra Luna in domo Mercurii.

Ergo qvo plures, ſecundum hanc doctrinam, ſignificationes itinerum collectæ fuerint, eò freqventiora & longinqviora itinera natus faciet.

§.207. Contrà minora & non freqventia, ſed per intervalla, qvo pauciores ſignificationes inveniuntur,

§.208. Qvod ſi nulla penitus harum ſignificationum ſe ad aliqvam genituram accommodaverit, nimium amans erit patriæ ſic natus, & vitam maxima ex parte domi deſidens aget, vix alio patriam qværens ſub Sole jacentem,

II.

PLAGA MUNDI.

§. 209. Si nulla faciet itinera natus, non opus eſt ulteriore qvæſtione. Ubi

verò

verò evidentes ſunt ſignificationes itinerum, qværitur, in qvam mundi plagam potisſimum futuræ ſint peregrinationes.

Judicium autem ſumitur primò à Planetis, peregrinationem decernentibus,ſecundò à ſignis Zodiaci, in qvibus ſunt Planetæ decernentes itinera.

§.210. Planetæ *Orientales*,hoc eſt,qvi præſunt orienti, videlicet Sol & Saturnus, decernunt itinera reſpectu patriæ verſus orientem.

Meridionales,ut Venus, verſus meridiem.

Occidentales,ut Mars & Luna, verſus occidentem.

Septentrionales, ut Juppiter, verſus Septentrionem.

Mercurius indifferens & incertæ naturæ eſt,conjunctus orientali vel in ejus dignitate eſſentiali, orientalis eſt,& ſic de reliquis.Sed cum Luminaribus conjunctus non transformatur, niſi eorum eſſentialem dignitatem poſſederit.

§. 211. Signa autem conſiderantur ſecundum trigonos.

tione,in quibus iidem Planetæ verſantur. Supra autem dixi, planetas duo ſignificare, res & perſonas. Qvare ſi Planetæ, decernentes itinera, conjunguntur Saturno,aut in ejus eſſentiali dignitate ſint, vel ipſe Saturnus ſignificator exiſtat, oſtenditur, cauſam itineris futuram res Saturninas, ut fodinas metallicas, ædificationes, hæreditates mortuorum: Aut perſonas Saturninas, ut ſenes,avaros, agricolas &c.Si Jovi,cauſa erit religio, honor, jurisprudentia, beneficia Eccleſiaſtica &c.Aut perſonæ, qvæ talia adminiſtrant,ut Epiſcopi prælati, nobiles, judices, magnanimi &c. Et ſic de reliquis planetis, qvorum omnium ſignificationes,quia ſupra in loco de diuitiis expoſui, hîc longiorem commemorationem omitto.

§. 214. Deinde conſiderandæ ſunt ſignificationes domorum, in qvibus conſtituuntur Planetæ, decernentes itinera. Nam in prima domo ſignificant itinera ſuſcepta â qvodam naturali amore peregrinandi. In ſecunda domo cauſa contractuum, emptionis, vendi-

tionis, acqvirendæ pecuniæ. In tertia, cauſa fratrum &c. In qvarta cauſa parentum, patrimonii &c. & ſic de reliquis pomibus, qvarum ſignificata etiam ſudra expoſita ſunt.

Ita ab his duobus locis, videlicet nanatura Planetarum decernentium itinera, & domorum, naturali ſignificatione, in qvibus iidem conſtituuntur, colligenda ſunt convenientia uni rei teſtimonia, & inter ſe miſcenda.

IV.

SUCCESSUS IN

ITINERIBUS.

§. 215. Qvando Planeta decernentes itinera potentes fuerint, & ſociati beneficis aſpectu amico, vel in domibus eorum, præbent ſecura itinera, proſperitatem, dona, amicos, honores & rerum inſtitutarum felicem eventum.

§. 216. Si debiles, aut ſociati maleficis aſpectu inimico fuerint, aut in eorum domibus, magnis periculis & adverſitatibus implicant eos, qvi iter faciunt.

§. 217. Qvalitas periculi in genere ſumitur â Saturno & Marte, & ſigno, qvod occupant iidem. Cum igitur inficiunt ſignificatorem, aut ſupra illum elevantur, aut domini ſunt ejus loci, portendunt in itineribus periculum, de natura domus, & ſigni, in qvo verſantur, ut in XII. propter captivitates, in III. à fratribus, conſangvineis & propinqvis, & ſic de reliqvis domibus.

In ſignis *humidis*, â pluviis, aqvis, navigationibus infauſtis, aut ſolitariis locis.

In *fixis*, exceptô Scorpione, â lapſu, præcipitatione, vel tempeſtate ventorum.

In *mobilibus*, ex defectu commeatuum, aut aëris mutatione, graveolentia.

In *humanis* ſignis, à latrociniis, deprædationibus, inſidiis.

In *ſylveſtri* ſigno, lacerationes metuendas â beſtiis, item terræ motus portendunt.

In *domeſtico* ſigno, periculum erit nato ab eqvis excutientibus ſeſſorem, aut effrenibus, item morſu animalium domeſticorum, vel canis rabioſi.

In

In ſigno *venenato*, ut Scorpione, ex morſu ſerpentum &c.

QVÆ REGIONES SIVE URBES MAGIS CONVENIANT NATO, ET QVÆ SINT INCOMMODÆ VEL ADVERSÆ.

§. 218. *Regiones & Civitates* ſubjectæ ſignis primæ, 10. 11. 2. domorum radicis, ſi non fuerint â malis læſa, commodæ ſunt nato, ut ibi vel res ſuas gerat vel habitet.

Si verò impeditæ fuerint â maleficis, mediocres.

Ita, qvæ ſubſunt ſigno, qvod tenent Juppiter, Venus, pars fortunæ, vel caput Draconis in radice, cum à maleficorum inimicis aſpectibus non impediuntur, proſperæ ſunt nato, præſertim ſi eadem ſigna occupent. 1. 10. 11. vel 2. Item 5. 9. 3. ſed minus. Qvod ſi conſtituantur in occaſu aut imo cœli, aut domibus ab aſcendente ſeparatis, ſignificant mediocritatem.

§. 219. Adverſæ autem erunt nato regiones & urbes, qvæ ſubjectæ ſunt ſignis

gnis *Saturni* vel *Martis*, vel caudæ Draconis in radice, præſertim ſi in ſeptima, imo cœli, aut domibus ab aſcendente ſeparatis, utpote 6. 8. 12. eadem ſigna conſtituantur. Nam ibi â malis qvoqvô modô læſa valdè adverſantur.

DE REGIONIBUS

AC CIVITATIBUS DUODECIM SIGNIS ZODIACI SUBJECTIS.

Aries habet

EX REGIONIBUS, Baſtarniam, Syriam, Palæſtinam, Galliam, Britanniam minorem, Burgundiam ſuperiorem, Vueſtriæ partem, Germaniam, Sveviam, Sileſiam ſuperiorem, Poloniam minorem. EX URBIBUS, Neapolim, Capuam, Anconam, Imolam, Ferrariam, Florentiam, Veronam, Bergomum, Lindaviam, Trajectum, Brunſvicum, Cracoviam, Masſiliam, Cæſarauguſtam.

Taurus habet

EX REGIONIBUS, Barthiam, Mediam,

diam, Perſiam, Arcipelagi inſulas, Cyprum, Aſiam minorem maritimam, Ruſſiam albam, Poloniam majorem, Svetiæ partem, Irlandiam ſeu Hyberniam, Lotharingiam, Campaniam, Helvetiam, Rhetiam, Franconiam. EX URBIBUS, Burgum Hiſpaniæ, Bononiam, Senas, Mantuam, Tarentum, Panormum, Peruſium, Parmam, caput Hiſtriæ, Brixiam, Tigurum, Lucernam, Nanceium, Metim, Herbipolim, Caroloſtadium, Lipſiam, Poſnam, Gneſnam, Novogardiam.

Gemini habent

EX REGIONIBUS, Hyrcaniam, Armeniam, Martianam, Cyrenaicam, Marmaricam, Ægyptum inferiorem, Sardiniam, Longobardiæ partem, Flandriam, Brabantiam, Wirtenbergenſem ducatum. EX URBIBUS, Cordubam, Viterbium, Ceſenam, Turinum, Vercellas, Rhegium, Lovanium, Brugas, Londinum, Moguntiam, Kitzingum, Hasfordiam, Bambergam, Norimbergam, Villacum.

Can-

Scorpio habet

EX REGIONIBUS, Matragonitidam, Commagenam, Cappadociam, Judæam, Idumæam, Mauritaniam, Getuliam, Cathaloniam, Nordvegiam, Sveciam occidentalem, Bavariam ſuperiorem. EX URBIBUS, Algeram, Valentiam Hiſpaniæ, Trapezuntem, Urbinum, Aquilejam, Piſtorium, Camerinum, Tarviſium, Patavium, Forum Julium, Meſſanam, Viennam Allobrogum, Aychſtadium, Monacum, Gedanum.

Sagtitarius habet

EX REGIONIBUS, Arabiam felicem, Tyrrheniam, Celticam, Hiſpaniam, Dalmatiam, Sclavoniam, Ungariam, Moraviam, Miſniam. EX URBIBUS, Toletum, Volaterras, Mutinam, Narbonam, Avenionem, Coloniam Agrippinam, Stutgardiam, Rotenburgum, Tuberrinum, Ludenburgum, Budam, Caſchoviam.

Capricornus habet

EX REGIONIBUS, Indiam, Arrianam,

nam, Gedroſiam, Macedoniam, Illyridem, Thraciam, Bosniam, Albaniam, Bulgariam Græciam, Maſoviam, Lituaniam, Saxoniam Hesſiam, Thuringiam, Marchiam Stiriæ, Orchades Inſulas. EX URBIBUS, Juliacum, Clevoniam, Bergam, Machliniam, Gandavum, Oxoniam, Vilnam, Brandeburgum, Auguſtam Vindelicorum, Conſtantiam, Derthonam, Faventiam.

Aqvarius habet

EX REGIONBUS, Oxianam, Sogdianam, Arabiam deſertam & petream, Azaniam, Amazoniam, Sarmatiam, Tartariam magnam, Walachiam, Ruſſiam rubeam, Daniam, Svetiæ meridionalem partem, Weſtphaliam, Moſellanos, Pedemontium, Bavariæ partem. EX URBIBUS, Hamburgum, Bremam, Montem ferratum, Piſaurum, Tridentum, Salisburgum, Ingolſtadium.

Piſces habent

EX REGIONIBUS, Phazaniam, Nazomonitidem, Garamantes, Lydiam,

diam, Pamphiliam, Ciliciam, Calabriam, Portugalliam, Normandiam. EX URBIBUS, Alexandriam, Sibiliam ſive Hiſpalim, Compoſtellam, Parentium, Rothomagum, Wormatiam, Ratisponam.

DE RELIGIONE.

§. 220. Judicium de religione etſi Theologorum magis, qvam Mathematicorum autoritate nitatur, tamen plurimarum geniturarum exemplis conſtat, maleficis, Saturno vel Marte, item cauda Draconis in nona domo, aut huic oppoſita, videlicet tertia, exiſtentibus, in ſigno mobili, Jove dejectô, peregrinô aut in detrimento ſuo, atqve etiã in loco cadente, â maleficis damnatô, natos ſic non facile perſeverare in una religione, ſed ſubinde huc illuc nutare ac parum curare divina.

§. 221. Qvod ſi Juppiter, Venus, aut caput Draconis eadem loca occupaverint, ſignificant conſtantem Chriſtianum, amatorem verbi DEI & piorum.

§. 222. Sol

Digitized by Google

§. 222. Sol autem, Luna Mercurius, & pars fortunæ, ibidem, mediocritatis ſigna ſunt, augendæ, cum acceſſerit Jovis aut Veneris benignus radius, minuendæ cum maleficorum inimicus radius eosdem ferit in dictis locis.

§. 223. Ubi verò duo, tres, aut plures Planetæ in nona aut tertia verſentur, mixturam & mediocritatem notant, ita tamen, ut principale judicium à fortiori ſumatur.

§. 224. Qvod ſi neqve nonam neqve tertiam ulli Planetæ occupant, conſideretur *Juppiter*, qvi eſt naturalis ſignificator religionis, qvod ſi is in domo aut exaltatione ſua conſtitutus fuerit, magisqve in angulo, vel in eſſentiali receptione cum Venere, Sole, Luna, aut Mercurio, vel in Veneris conjunctione, trigono vel ſextili radio partili, pium & modeſtum hominem ſignificat. Contrarium ſi Juppiter ſit peregrinus, in caſu ſuo aut detrimento, & in loco cadente figuræ cœli, damnatus à maleficis.

Tantum de hac conſideratione hic dixiſſe ſufficiat, qvam leviter tamen attin-

attingere voluimus, cum Mathematici non rarò nativitatum, quas deſcribunt, judiciis etiam hanc inſerant.

DE SOMNIIS.

§. 225. *Jupiter* aut *Venus*, in nona potens, ſi maleficorum inimicis radiis non feriatur, ſomnia adfert μαντικὰ, qvibus plerumque reſpondet eventus.

§. 226. Sed malefici ibidem & debiles, ſomnia fallacia aut prorſus inania. Sic licet benefici fuerint in nona, ſed tamen imbecilles & læſi inimicô aſpectu, maleficarum ambigua, quibus interdum reſpondet eventus interdum non. Idem ſignificant mediocres Planetæ in eo loco. Si plures Planetæ ſimul in nona coëant, potior dignitate anteferendus eſt.

§. 227. Si nulli Planetæ in nona ſint, conſiderabis ſignum nonæ & dominum ejus, & ſecundum ejus qualitatem & diſpoſitionem judica eô modô, ut jam diximus, de ſomniis.

§. 228. Hanc de ſomniis brevem admonitionem addidi, ſecutus communi-

munem conſuetudinem Aſtrologorum. Nec pugnat hæc doctrina cum ſacris literis, cum talia ſomnia, quæ ſignificant aliquid futuri, à temperament proprietate oriantur. Præcepta autem de interpretatione inepta & inania ſunt, & ſæpè interpretes fefellerunt, ac in *Deuteronomio* adſeveratio ex iis, niſi ſint divina, manifeſtè prohibetur.

DE HONORIBUS ET DIGNITATIBUS NATI.

§.229. Hæc pars cum ſit magni momenti & uſus in prædictionibus genethliacis, diligentiorem conſideratione requirit, quam pleraque ex præcedentibus.

1. Sumitur autem ſignificatio dignitatis à luminaribus, Sole præſertim, & Planetis medietate ſuorum orbium circumdantibus, aut aſpicientibus luminare utrumque, præcipuè Solem.
2. Deinde, à Domino medii cœli.
3. Et Planeta vel Planetis in medio cœli conſtitutis.

§.230.

I.

§. 230. Hi ſignificatores ſi fuerint in proprio domicilio, exaltatione, aut mutua receptione eſſentiali, honores, officia publica, amplas adminiſtrationes, dignitates, eximium favorem, & benevolentiam magnatum conferunt.

In triplicitatibus, terminis, aut faciebus, mediocria omnia.

Peregrini autem in ſuis detrimentis, vel dejectionibus, absque eſſentiali receptione, exiguas, aut nullas dignitates.

II.

§. 231. Si fuerint in angulis, conferunt etiam dignitates amplas. In ſuccedentibus mediocritatem.

In octava domo & cadentibus, exiguos aut nullos honores, & exiguum ac humile genus vitæ.

§. 232. Quod ſi utrumq; ſimul contingat, ut ſignificator ſit & in proprio domicilio &c. & in angulo, duplicatum teſtimonium effectum evidentiorem deſignat.

III.

§. 233. Significatores intra diſtantiam 5. grad. ante vel retrò juncti ſtellis fixis regiis, primæ vel ſecundæ magnitudinis, quæ parum diſtant ab Ecliptica, decernunt maximos honores, & eximiam præſtantiam dignitatis: Ideoque in collectione teſtimoniorum per numeros, ſemper eis tria teſtimonia decretorum danda ſunt. Tales ſtellæ ſunt:

Regulus ſeu cor Leonis in 23. ferè grad. Leonis.

Oculus Tauri, in 3. ferè grad. Geminorum.

Hercules in 17. ferè grad. Cancri.

Spica Virginis in 17. ferè grad. Libræ.

Luminoſior lanx meridionalis in 8. gr. Scorpii.

Cor Scorpii ſeu Antares in 3. ferè grad. Sagittarii.

IV.

§. 234. Planetæ benefici in decima domo, decernunt eximias dignitates.

Malefici negant dignitates.

Mediocres medium ſtatum decernunt.

V.

§.235. Similiter dominus horoſcopi in medio cœli, vel contra dominus medii cœli in horoſcopo, confert dignitates magnas: ideo ei duo teſtimonia dignitatum adſcribenda ſunt in collectione teſtimoniorum per numeros.

Juxta has regulas fieri debet collectio teſtimoniorum decernentium, aut negantium honores, & quorum copia vicerit, hos ſuum effectum ſecuturum omnino ſcias.

Qualitas, genus ac cauſa futuræ dignitatis

§.236. Sumitur à Planetis circumdantibus, vel partiliter aſpicientibus luminaria, præcipuè verò ab eo, qui inter luminarium ſtipatores potentior eſt cæteris, ratione dignitatum eſſentialium, potiſſimum domus & altitudinis. In his conſiderari debet, quas res & quas perſonas ſibi vendicent, & ab earum rerum ac perſonarum proprietate conjicienda ac ſumenda erit cauſa honorum.

§. 237. *Saturnus* præ cœteris fortior & luminaria aſpiciens, propter hæreditates, poſſesſiones, ſuffragia &c. Item propter ſenes, majores, agricolas, parcos &c. adfert autoritatem & honores.

Juppiter & *Venus* propter virtutes, honeſtatem, gravitatem, juſtitiam &c. item propter tales perſonas.

Mars promittit dignitatem expeditionibus, ducendis exercitibus, victoriis, rebus fortiter geſtis, item propter perſonas Martiales.

Mercurius ob ingenium, peritiam, prudentiam, doctrinam, &c.

§. 238. Deinde adjungatur conſideratio domus cœleſtis, in qua Planetæ luminaria aſpicientes, & potiſſimum is, qui inter cœteros fortior eſt, conſtituuntur. Nam ſi is fuerit in prima ſuapte induſtria conſequetur dignitatem natꝰ ſi in 2. propter divitias, & ſic de reliquis domibus. Et hæc ſignificata commiſcenda ſunt cum ſuperioribus, quæ à planetis ſtipatoribus ſumuntur.

II.

§. 239. Si nullus planata luminaria ſtipat

ſtipat aut ea partiliter aſpicit, conſideres Planetam in 10. conſtitutum, & inter eos, fortiorem, ſi plures in eo loco conjungantur: ac ſecundum res & pernas, ſub eo comprehenſas, judicabis cauſam dignitatis venturæ.

III.

§. 240 Quod ſi neque decimam Planeta occupaverit ullus, ad dominum medii cœli recurras, & ſecundum ejus proprietatem conſidera cauſas venturæ dignitatis, & huic ſimiliter commiſcebis ſignificationē domus cœleſtis, in qua is verſatur.

An duraturi ſint honores.

§. 241, Hoc judicium ſimiliter ſumitur â planetis, qui luminaria ſtipant, vel ea partiliter aſpiciunt, ſed potiſsimum fortiore aliis.

§. 242. Qui ſi fuerint benefici, utpote *Juppiter*, vel *Venus*, atque etiam potentes, ſtatus dignitatis perpetuò creſcet, cum quadam facilitate.

§. 243. Quando mediocriter afficiuntur, ſignificant ſtatum dignitatis

creſcentem paulatim, & durabilem, ſed tamen cum quadam difficultate. Sin debiles ſunt, dignitatum ornamenta ad tempus durabunt, & paulatim decreſcent, nec tamen evaneſcent omninò.

§. 244. Verùm ubi *Saturnus* vel *Mars* ſtipant vel aſpiciunt luminaria, ac feliciter conſtituuntur, duraturos quidem ſignificant honores, ſed cum difficultate & variô diſcrimine. Si mediocriter affecti fuerint, paulatim honores decreſcent, ita ne tamen unquam penitus evaneſcant. Si imbecilles, ſubitò evaneſcent honores.

§. 245. *Mercurius* aſpiciens luminaria, cum benè ponitur, honores principio creſcent facilè, ac durabunt: in fine autem difficultatem experietur. Cũ mediocriter, ruinam minatur, ſed non cadit. Ubi verò malè, tunc ad tempus incrementa honorum ſignificat, ſed cum infelici exitu.

II.

§. 246. Si nullus omninò Planeta aſpexerit luminaria, tum â Planeta, vel Planetis in medio cœli conſtitutis, duratio

ratio honorum ſumitur, conſideratâ naturâ Planetæ, & utrum ſit in ſua dignitate eſſentiali, ut ſupra.

III.

§. 147. Si neque in decima quispiam fuerit, â gubernatore medii cœli duratio honorum ſumitur.

DE MAGISTERIO SEU EXERCITATIONE.

§. 248. Magiſterium nati nominant Aſtrologi ſtudium, artem ſeu actionem illam, quâ aliquis vitam ducit, victum quærit, exiſtimationem retinet, & in ſumma vitæ ſuæ curriculum conſumit & abſolvit: Sive ea ſit publica, ut regum ac principum, quorum alii exercitiis militaribus, alii juris adminiſtratione, alii venationibus, alii aliis actionibus delectantur: Sive privata, quæ aut docta & induſtria eſt, aut mechanica, aut voluptuaria, aut laborioſa &c.

§. 249. Tria autem conſiderari ſolent membra in hoc judicio:

1. An natus ſit habiturus magiſterium, hoc eſt, ſtudium ſeu opificium a-

liquod tractaturus : An verò futurus ſit otioſus, iners, & ſine exercitatione.

2. Genus artis ſeu ſtudii.

3. Quæ ſit futura nati fortuna, & nominis celebritas in eo opificio & artis genere ?

SIGNIFICATORES hôc modô ſumuntur.

§. 250. 1. Conſiderandi ſunt *Mars*, *Venus* & *Mercurius*, quorum ſi unus aut plures conſtituantur in locis magiſterii aptis, hoc eſt, in domo decima, prima, vel ſeptima, in dignitatibus ſuis, extra combuſtionem & radios Solis, ille vel illi ſic poſiti ſignificationem artis & magiſterii obtinebunt.

§. 251. 2. Quod ſi nullus horum ita conſtituatur, conſidera, utrum horum trium aliquis ſit dominus ſigni medii cœli, & in dignitate ſua conſtitutus &c. Nam peregrinus aut in caſu vel detrimento ſuo ineptus erit ad hoc officium.

§. 252. 3. Quod ſi neque hæc conſideratio habebit locum, vide quis illorum trium Lunam partiliter aſpiciat : Si plures illorum aſpexerint eam, præ-

præferatur melior aſpectus: Et ſi plures eodem aſpectu Lunam intueantur, præferatur aſpectus partilior platicô, item ſiniſter dextrô.

§. 253. 4. Si nullus trium horum Lunam aſpexerit, conſideres, quemnam illorum Luna orbis ſui medietate & fortiori radiô aſpiciat, isq; erit ſignificator magiſterii, modo non ſit à maleficis damnatus, hoc eſt, junctus maleficis, aut eorum inimicis radiis impeditus. Nam hoc modô conſtitutus rejiciendus erit.

Si plures verò aſpexerit Luna orbis ſui medietate, is ſumatur, quem partilius aſpexerit.

§. 254. 5. Poſtremò ſi omnino nullum ex his Luna aſpexerit, accipe eum, qui horum trium Solem, motu primi mobilis, proximè antecedit, atque illi dominium opificii tribue.

§. 255. Hâc ratione dominus ſeu ſignificator magiſterii inquiri debet, neque ulla genitura eſt, quæ non cadat ſub harum regularum aliquã. Fieri autem poteſt, ut juxta has conditiones

idem Planeta plura teſtimonia, ſeu, ut *Ptolemæus* nominat, ψήφους οἰκοδεσποτίας ſortiatur, & is plerumq; eſt efficacior.

§. 256. Jam ſi voles judicare, utrum natus ſit habiturus artis alicujus exercitationem ſeu opificium, qualia ſunt infinita propemodum in ſocietate vitæ humanæ, conſidera *Martem*, *Venerem*, & *Mercurium*, quod ſi illorum aliquis conſtituatur in locis magiſterii aptis, vel dominus ſit ſigni Medii cœli conſtitutus in dignitatibus ſuis, nullô modô erit natus ſine opificio vel exercitatione. Etſi plures unô ſic conſtituatur, varietatem ſtudiorum, artium, vel opificiorum tractabit, ex quibus illa erunt nato frequentiora, & magis diuturna, quæ à fortiore planeta decernuntur.

§. 257. Quod ſi nullus horum per primam vel ſecundam regulam dominus magiſterii fuerit, ſed per tertiam, quartam aut quintam, hi plerumq; obſcuram & ignobilem artem, eamq; tardius & negligentius tractant, aut in otio ſine exercitatione inſigni vitam degunt.

QVA-

QVALITAS MAGISTERII.

§. 258. Qualitas magiſterii, ſeu artis genus cognoſci poteſt ex natura & proprietate Planetæ, decernentis opificium ex tribus illis, quos dixi, *Marte*, *Venere* & *Mercurio*, & ſigno, quod peragrat, item configuratione ejus, cum aliis Planetis, ubi ſemper potior aſpectus præferendus eſt imbecilliori. Et ſi duo dominantur magiſterio, fortior imbecilliori anteferatur.

MARS gubernator magiſterii, efficit milites, pugiles, fabros, ærarios, tormentarios, fuſores, cauteria exercentes, Chirurgos &c. In Ariete, Leone, Scorpione venatores, quod ſimiliter ſignificat, ubi dominum magiſterii fortis aſpexerit.

VENUS domina magiſterii, Muſicos efficit, præſertim ſi â gubernatore ſigni, quod peragrat, aſpiciatur, item aulicos præfectos gynecæorum, aut muliebri favore evectos, pictores, precioſarum

veſtium, vel gemmarū inſtitores, phrygiones, pharmacopolas, aromatarios, &c. Eadem efficit ipſa quidem à dominio magiſterii remota, ſi tamen aſpexerit ſignificatorem magiſterii fortis exiſtens.

MERCURIUS facit literatos, Mathematicos, Geometras, Arithmeticos, ſcribas, Poëtas Negotiatores, mercaturæ deditos, monetarios, nummularios, ſtatuarios, tornatores &c.

§. 259. Hæ ſunt naturales ſignificationes *Martis*, *Veneris* & *Mercurii*, quæ tamen aut intenduntur, aut remittuntur, pro ratione configurationis cum Saturno, Jove & Sole, item pro ratione ſignorum, in quibus conſtituuntur.

§. 260. Sic Mars Saturno commixtus maligno aſpectu, mirificè imminuit à Marte ſignificatum magiſterium, pro militibus efficiens calones & lixas, pro chirurgis expurgatores cloacarum ac caminorum, coquos, mangones, balneatores, lictores &c.

§. 261. Si Martem Juppiter aſpexerit, efficiet omnia præſtantiora, ut Ca-

Capitaneos, tribunos militum, miniſtros regios, præfectos vectigalium &c.

§. 262. Si Martem Sol aſpexerit, ſimiliter opificia illuſtriora decernit, ſed minus quàm ubi Juppiter eum aſpiciet.

§. 263. Eâdem ratione, ſi *Venerem* vel *Mercurium*, aſpexerint *Saturnus*, *Sol* vel *Juppiter* intenduntur ſignificationes vel remittuntur pro aſpicientium natura, ut Mercurium magiſterii dominum Juppiter aſpiciens, efficit claros oratores, doctos celebres, cum potentibus viris familiaritatem habentes, judices &c.

§. 264. Cum Saturno, procuratores ſerviles, tornatores, figulos, coriarios, ſartores. Item ſomniorum interpretes, ſuperſtitioſos &c.

§. 265. Si cum Venere Saturnus, utrôque malè affectô vel alterutrô, facit lenones, caupones, textores &c.

§. 266. Signorum autem proprietas hæc eſt.

Æquinoctialia & *Solſtitialia*, conducunt ad artes, quæ ingenii contēplatione

tione verſantur, ut *Geometriam*, *Medicinam*, *interpretationes*, *agriculturam*.

Signa, quibus ſunt humanæ figuræ, ut *Gemini*, *Virgo*, *Aquarius*, *Libra*, conducunt ad liberalium artium cognitionem, & earum, quæ in vita maximum uſum habent.

Quadrupedum figuræ, ut *Aries*, *Leo*, *Sagittarius*, ad mechanicas artes, negotiationem, fabrilem, Architectonicam & metallica.

Terreſtria & *aquatica* ſigna, ut *Taurus* & *Capricornus*: Item, *Cancer*, *Scorpio*, *Piſces*, ad tractandas res, quæ circa aquas verſantur, *nauticam*, *navium fabricationem*, *ſalſamenta*, *herbas* &c.

§. 267. Ac de genere artis nati hôc modô, â dominatoribus magiſterii & ſignis, in quibus illi verſantur, denique ſuperiorum Planetarum ad hos configuratione, conjectura ſumenda eſt.

§. 268. Succeſſus autem & celebritatem opificii ratiocinaberis, ex conſtitutione & fortitudine ſignificatoris, ſeu domini magiſterii, qui ſi fuerit potens, ratione eſſentialium dignitatum, & li-

& liber ab oppugnatione maleficarum partili, vel platica, in cardinibus & orientalis, facit artifices celebres, antecellentes aliis, venuſtos, gratioſos, aut publicâ opinione induſtriæ & artis claros.

§. 269. Sin debilis fuerit, occidentalis aut cadens ab angulo, aut â maleficis læſus hoſtili radiô, reddit ignobiles, invenuſtos, inhabiles, aliis ſubjectos, cõtemptos in ſua arte, parum lucrantes, facilè in reprehenſionem aliorum incurrentes.

§. 270. Quod ſi fortis per ſe, id eſt, ratione dignitatum eſſentialium fuerit magiſterii dominus, ſed â maleficis læſus, ſignificat quidem fortunam, ſed multis periculis & impedimentis conjunctam: *Saturnô* adverſante, propter timiditatem, deſperationem, imbecillitatem aut ignaviam: *Marte*, propter temeritatem, violentiam aut infamiam &c. Cum ambo lædunt magiſterii dominum, ſignificantur maximæ & multiplices adverſitates.

DE

DE AMICIS.

§. 271. An habiturus ſit amicos natus hoc modo inquiritur:

Primò conſidera Planetas conſtitutos in undecima & prima domo, qui erunt aut benefici, aut malefici, aut mediocres.

§.272. Benefici, ut Juppiter & Venus, benè in eis locis affecti, & fortes in genere decernunt multorum amicitiam & familiaritatem ſinceram, atque utilem nato, idem decernit caput Draconis Lunæ, præſertim in *Geminis*, *Piſcibus*, *Cancro*, *Tauro*, *Libra*, *Leone*. Sin malè affecti fuerint benefici, mediocritatem hujus rei ſignificant, hoc eſt, amicos partim ſinceros, partim fucatos. Idem decernit caput in *Sagittario*, *Scorpio*, *Capricorno*, *Aquario*, *Ariete*, *Virgine*.

§.273. Malefici: Saturnus & Mars in illis locis fortes, multos quidem amicos decernunt, ſed majori ex parte fucatos.

Si ſint debiles, paucos & eos infidos. His æquiparatur cauda Draconis Lunæ,

næ, exceptô Marte, in quo conſtituta, par eſt maleficis potentibus.

§. 274. Mediocres, ut Sol, Luna, Mercurius & pars fortunæ in undecima, vel prima, benè affecti, multitudinem amicorum mediocrium decernũt, fidelium tamen magis: Malè affecti, paucitatem amicorum, & pleroſq; infidos & inſtabiles.

§. 275. Si plures diverſæ naturæ in illis locis conſtituti fuerint, mixturam ſignificant & amicorum diverſitatem; ſed principale judicium ſumatur à potentiore Planeta.

II.

§. 276. Cum nullus Planeta in undecima vel prima domo verſatur, conſiderandus eſt dominus undecimæ, utrum ſit beneficus & fortis, ſeu debilis, maleficus, vel mediocris? & ſecundum ejus naturam ſimiliter, ut jam dictum eſt, de amicorum numero judicandum.

QVALITAS AMICORUM.

§. 277. Hæc cognoſcitur ex natura pla-

planetarum, qui in undecima & prima verſantur, ſi id contingat, item qui undecimæ ac primæ imperant, conſiderato etiam ſigno intercepto.

§. 278. SATURNUS imperans undecimæ, vel primæ, aut in iis domibus conſtitutus, ſignificat amicos de ſua natura, videlicet Saturninos, ſenes, agricolas, metallicos, lapicidas, ſordida opificia tractantes, avaros, fœneratores &c.

JUPPITER: Eccleſiaſticos, Prælatos, Jurisperitos, nobiles, divites, provinciarum præfectos, honeſtos, verecundos &c.

MARS: capitaneos, milites, chirurgos, ſuperbos, audaces, inverecundos, opifices, Βαναύσους, ruffos &c.

SOL: Reges, Principes aut magnatum conſiliarios, autoritate præſtantes, claros, magiſtratum gerentes &c.

VENUS: Muſicos, Poëtas, phrygiones, pharmacopolas, amatores, luſores, urbanos, homines lætos, comptos, mulieroſos &c.

MER-

MERCURIUS: ingenioſos, artifices præſtantes, doctos, Cancellarios, Mathematicos, Poëtas, ſcriptores, mercatores, ſagaces, callidos &c.

LUNA: viduas, matronas nobiles, legatos, nuncios, nautas, piſcatores, balneatores, plebem, homines inconſtantes, rerum novarum cupidos.

CONSTANTIA AMICORUM.

§. 279. Utrum amici ſint conſtantes & certi futuri, aut inconſtantes & mutabiles, ſumitur ex conſideratione ſigni undecimam domum occupantis, quod ſi *fixum* fuerit, ſocietates firmas & indiſſolubiles decernit: Si *mobile*, mutabiles & citò diſſolubiles: Sin commune, mediocres.

DE INIMICIS.

§. 280. Judicium de inimicis ſumitur ex conſideratione planetarum, qui in ſeptima & duodecima domo verſantur. Item Planetis, qui luminaribus opponuntur.

§. 281.

§.281. Quodſi plures in his locis conſtituuntur, portendunt plurimos inimicos & adverſarios. Contrà, ſi pauci, aut nulli. Cauda & Caput Draconis æquiparantur Planetis.

§. 282. Sic Almuten primæ in duodecima domo, vel duodecimæ domus Almuten in prima, ſignificat multos inimicos. Idem Almuten ſeptimæ in prima, aut primæ in ſeptima.

§. 283. Quales inimici ſint futuri.

Hoc judicatur à natura Planetarum, qui in ſeptima aut duodecima conſtituti ſunt, deinde dominis ſignorum ſeptimæ & duodecimæ domus, item Planetarum natura, qui luminaribus opponuntur. Hæc in præcedente capite expoſita ſunt. Hoc diſcrimen tamen obſervabis ſeptimam & Planetas, luminaribus oppoſitos, ſignificare apertos inimicos, duodecimam verò occultos.

§.284. Quando idem Planeta ſignificaverit ſimul & amicos & inimicos, quod fit, cùm eſt dominus undecimæ & corpore conſtituitur in ſeptima, tunc homines, qui à tali Planeta ſignificantur,

tur, erunt nato partim inimici, partim amici, ſed tamen magis inimici, quia plus valet præſentia planetæ in loco inimicitiarum quam dominium abſentis in loco amicitiarum. Sic è contra ſi dominus duodecimæ in prima conſtituatur, magis amicos ſignificat, quam inimicos futuros eos homines, qui ſub eo planeta continentur.

Potentia inimicorum ratiocinari poteſt.

§. 285. Primùm â natura Planetarum, qui decernunt inimicos.

Secundò, â loco figuræ cœleſtis, in quo conſtituuntur.

Tertiò, â fortitudine eorum, ratione dignitatum eſſentialium.

§. 286. Benigni ſignificant potentes inimicos; Maligni, viles & obſcuros.

§. 287. Tam benigni, quàm maligni, ſi fuerint in *angulis*, potentes: in *ſuccedentibus*, mediocres: in *cadentibus*, viles hoſtes decernunt.

§. 288. Eodem modo conſtituti in dignitatibus eſſentialibus præcipuis, potentes hoſtes ſignificant, peregrini, in

in ſuis detrimentis, vel caſibus, obſcuros: In triplicitatibus, terminis, aut finibus, mediocres hoſtes.

Ex collatione igitur harum trium conditionum potentia aut obſcuritas inimicorum colligi poteſt.

§. 289. VICTORIA, hoc eſt, utrum natus ſuos inimicos & adverſarios vincet, aut ab iis vincetur; his regulis judicatur.

§. 290. 1. Dominus ſeptimæ decimam, aut decimæ ſeptimam occupans, ſignificat victoriam nati ab inimicis & adverſantibus, ſimiliter dominus duodecimæ decimam, aut dominus decimæ duodecimam domum occupans, modò non ſit in domicilio maligni Planetæ.

2. Dominus duodecimæ retrogradus, aut in ſuo caſu vel detrimento, & in ſexta domo, ſimiliter Victoriam ſignificat.

3. Luminaria, præſertim verò *conditionarium*, ut interdiu Sol, in nocturna genitura Luna, ſi conſtituatur in eſſentiali dignitate Martis, & ſic cum eo in ſignis permutatis, extra octavam domum

mum tamen, decernit manifeſtam victoriam. Idem ſignificat Mars circumdans alterutrum luminare fortior exiſtens præ cæteris Planetis.

§. 291. Cum duo hoſtes ſint, & in ſuis genituris, uterqve habuerit victoriæ ſignificationes, conſiderabis, uter plura, & evidentiora victoriæ & fortunæ ſigna in ſua geneſi habuerit, penes hunc enim plerumqve victoria ſtabit.

§. 292. Qvorum genituræ autem ad has regulas referri neqveunt, ii plerumqve ab hoſtibus vel adverſariis ſuis vincuntur.

DE MUTUA BENEVOLENTIA, VEL DISSIDIO INTER DUOS PRIVATOS.

I.

§. 293. Mutuæ benevolentiæ, ſeu familiaritatis, qvæ ex arcana naturarum & ingeniorum ſimilitudine oriri rectè exiſtimatur, & naturalium diſſidiorum ſignificationem; primò ex conſideratione Planetarum in horoſcopo verſantium in utraqve Genitura ſumes.

Nam ſi idem Planeta utriqve in horoſcopo conſtituitur, mores erunt iidem, cumqve morum ſimilitudo conciliatrix ſit ut amicitiæ, ſit ut inter tales facilè coaleſcat amicitia & ſocietas firma.

II.

§. 294. Qvod ſi non conſtituantur iidem Planetæ in horoſcopo, ſed diverſi, conſiderandum eſt, utrum illi ſint invicem natura amici, vel inimici. Qvod ſi amici fuerint, amicitiam & benevolentiam ſignificant. Si inimici, diffidia, lites & alienationem animorum. Sed tamen hæc regula non tam perfectam benevolentiam præſtat, ut ſuperior. Ideo ſeqvens tertia obſervatio cum hac eſt conjungenda, ut ex teſtimoniorum congruentia firmius judicium conſtituatur. *Vide ſuperius pag: 27.*

§. 295. Si plures in horoſcopo vel utriqve vel alterutro conſtituantur, fortior reliqvis præferatur.

III.

§. 296. Si nullus Planeta in horoſcopo verſatur, conſidera utriusqve genituræ dominos aſcendentis, qvi ſi fuerint idem planeta, aut diverſi in per-

mu-

mutatis ſignis,hoc eſt,recepti mutuò,ex domiciliis, vel exaltationibus,vel in eodem ſigno, in utraqve geneſi, vel in ſignis, bonô aſpectu ſe mutuò intuentibus, utpote Trigono, vel Sextili; oſtendunt naturarum ſocietates firmas, & familiaritatem dulcem ac diuturnam, eoqve magis, qvo partilior fuerit ille aſpectus.

§. 297. Qvod ſi domini aſcendentium fuerint diverſæ naturæ, & tamen bonô aſpectu invicem copulati; ſignificatur qvidem concordia & amor mutuus, ſed major & ſincerior ab eo,cujus horoſcopi dominus eſt planeta benignior. E cōtrà minor & debilior ab eo, cujus horoſcopi dominus eſt maleficus &c. Eodem modo aſpectus ſiniſter &, dexter diſcernantur. Efficacior eſt ſiniſter. Ideoqve ejus amor erit firmior & ardentior,cujus horoſcopi dominus alterum ſiniſtrô aſpectu intuetur: debilior & frigidior, qvi dextrô &c.

§. 298. Ubi autem domini aſcendentium in ſeparatis ſignis fuerint, aut ſe mutuò hoſtili radiô aſpexerint, inter

tales difficulter convenit, & alienati animis diuturna odia & ſimultates alunt, eoqve magis, qvo partilior fuerit malignus aſpectus, & qvi maligniorem horoſcopi dominum habuerit, is majorem cauſam diſſidii & odiorum præbebit, & magis premet alterum, atqve in eo ſimiliter plus valet aſpectus ſiniſter, qvam dexter.

DE CAPTIVITATE.

§. 299. Luminare alterutrum læſum ab alterutra maleficarum in angulis conjunctione, oppoſitione vel qvadrato aſpectu, ita ut luminarium utrumqve, vel alterutrum, ſive qvod læditur â malefica, ſive liberum, conſtituatur in domibus maleficarum, utpote *Ariete*, *Scorpio*, *Libra*, *Capricorno*, aut *Aqvario*, & altera ex maleficis in *Leone*, aut *Cancro*, carcerem vel captivitatem minatur. Innumera ſunt exēpla talis poſitus in genituris, etiā maximorū Principum. *Maximiliano Imperatori Sol in angulo Occiden-*

dentis, â Saturni quadrato aſpectu, ex Imo cœli læſus, utroq; luminari in domibus Martis, ac Marte in Leone conſtituto, captivitatem ſignificat, quod ei adoleſcenti Brugis, apud Belgas, â ſuis ſubditis per ſeditionem, contigit.

Franciſco, Regi Galliarū ☽ in ♒ in medio cœli conſtituta, à Marte, in Leone, ex angulo imi cœli, oppoſitô radiô infeſtabatur, quæ conſtitutio ei captivitatem portẽdebat, in quam incidit, bellô infeliciter geſtô cum Imperatore Carolo V.

Johanni Friderico Electori Saxoniæ, Sol Saturno in Cancro conjunctus in angulo Occidentis, Luna in Libra verſante, in quadrato Saturni, captivitatem & plurima incommoda minabatur, quæ ei annô ætatis 44. currente, hoc eſt, annô domini 1547. menſe Aprili, Electoratus dignitate amiſsâ, poſt bellum infeliciter geſtum cum Imperatore Carolo V. duriter evenerunt.

Philippo Langravio Heſſiæ, Luna in aquario in Imo cœli, à Saturno in Leone, ex medio cœli infeſtata, captivitatem ſignificabat, in quam incidit annô 1547. poſt confectum bellū Smalcaldicum in ſalinis Saxonicis, ab Imperatore Carolo V. victus.

Henrico Duci Brunſvicenſi, Sol in angulo Orientis in Scorpio, à Marte in Leone, qvadrato radio ex Medio cœli infeſtatus, captivitatem portendit, in qvam incidit anno 1545. menſe Septembri, victus à Ducibus Saxoniæ.

§.300. Porrò, qvæ de luminaribus & maleficis dicta ſunt, ea hâc conditione intelligi debent, ſi non in ſuis dignitatibus principalibus conſtituantur, aut ſint cum beneficis in permutatis ſignis, Hôc modô enim ſi ponantur, periculum captivitatis duntaxat afferunt.

II.

§.301. Luminare alterutrum in duodecima, conjunctum cum altero maleficorum, ſi imbecilles ſint, captiuitates denũciat. *Talis eſt conſtitutio in Themate Chriſtierni Regis Daniæ &c. qvi Solem habet Marti junctum in Cancro & in duodecima domo. Captus eſt & regno exutus ob tyrannidem à Chriſtiano, Principe Holſatiæ & maritimis civitatibus Saxoniæ.*

III.

§.302. Mars occupans ſeptimam, aut duodecimam domum, in Ariete, Scor-

Scorpio, Tauro, Capricorno, Aqvario, Leone, aut Cancro conſtitutus, & alterô luminarium ab eo, vel Saturno læſo, aſpectu platicô, vel partili, carcerem minatur.

Ita conſtitutus eſt Mars in themate Illuſtriſſimi Principis Alberti Marchionis Brandenburgenſis, Caſimiri filii. Mars enim in Ariete in ſeptima Soli platice conjungitur, Captus eſt annô Domini 1547. Die 2. Martii ad Rochlitium Miſniæ oppidum, à Joanne Friderico Electore & duce Saxoniæ.

IV.

§. 303. Saturnus & Mars reſpicientes ſe qvadratô, vel oppoſitô radiô, vel conjuncti, extra domicilium, altitudinem, aut receptionem beneficorum, aut luminarium, ſi uterqve eorum, vel alteruter duntaxat ſit directus, & dominium vel altitudinem ſibi vendicet in principio ſeptimæ vel duodecimæ domus: carcerem portendunt. Idem minantur, ſi oppoſiti ex dignitatibus ſuis, vel in permutatis ſignis, alter eorum, primam vel ſecundam, alter ſeptimam vel octavam occupet, alterô domi-

minante ſigno duodecimæ. *Talis eſt poſitus in themate Gabrielis Nutzelii Senatoris Norimbergenſis, viri induſtrii & in rebus gerendis peritisſimi, qvi Anno 1542. die 3. Auguſti in mari captus eſt.*

V.

§. 304. Dominus duodecimæ in eſſentiali dignitate Martis, & angulum occidẽtis occupans â maleficis partiliter damnatus, captivitatem minatur. *Exemplũ hujus regulæ eſt in genitura Viri ornatisſimi, doctrina, virtute & prudentiâ præſtantisſimi, Domini Hieronymi Baumgartneri, qvi habet Mercurium dominum duodecimæ in Ariete infectum à Saturno per conjunctionem partilem in ſeptima domo. Domum igitur ex comitiis reverſurus, captus eſt ab Alberto à Roſenberg, viro nobili & equeſtri.*

VI.

§. 305. Dominus duodecimæ domus in detrimento, vel caſu ſuo, damnatus à maleficis, partiliter, vel platicè carcerem portendit.

VII.

§. 306. Sol & Luna conjuncti in octava domo in qvovis ſigno, exceptis ſuis

ſuis domiciliis & Tauro, plerumqve carcerem denunciant, niſi interveniat inſignis aliqva benignorum prohibitio.

Exempla harum regularum ſupra trecenta poſſem recenſere ex familiis principum, nobilium & clarororum virorum noſtræ & ſuperioris ætatis. Qvæ autem recitavi hactenus, ea neqvaqvàm velim in cujusqvam ignominiam, ſed exempli & confirmationis cauſa eſſe dicta, ut regularum certitudo inde manifeſta fiat, qvas ſi qvis in ſua geneſi locum habere animadverterit, is præmonitus, cœcos animi impetus frenare, & diligentiâ ac moderatis conſiliis, multa magna pericula effugere, aut certè graves ærumnas mitigare poteſt. Principum genituræ in hoc judicio illuſtriores ſunt, qvam privatorum, cum illi pro defenſione & ſalute communi, ſæpius, qvam privati, talibus periculis ſe objicere cogâtur, & juxta *Euripidis* verſum. τῶν βασιλέων ἁμαρτήματα πάντες ἴσασι.

DE MORTE

§. 307. Reliqva eſt conſideratio de morte, qvæ duplex eſt: *Naturalis* & *Violenta.*

lenta. Nam *repentina* mors qviddam velut medium eſt inter naturalem & violentam.

Primum autem trademus noſtras obſervationes de violenta morte, qvibus explicatis, facilè eſt de naturali, aut repentina ratiocinari.

I.

§. 308. Ambo Luminaria in ſignis violentis, diverſis, nec contiguis, mortem violentam portendunt:

Violenta Signa ſunt { *Aries.* *Libra.* *Scorpio.* *Capricornus.* *Aqvarius.* }

Sic dicta qvod malefici Planetæ dominium, vel exaltationem in illis habeant.

II.

§. 309. Utrumqve Luminare, cùm ſtellis fixis violentis, intra diſtantiã qvinq; Graduum, mortem violentam minatur.

Violentæ ſtellæ ſunt	*Caput Algol.*	in 20. gr.	Tauri.
	OculusTauri	3	Geminorũ
	Hercules	17	Cancri.
	Cor Scorpii	3	Sagittarii.

§. 310.

§.310. Hæ duæ Regulæ autem tunc ratæ ſunt, & effectum habent, cum dominus Horoſcopi, vel octavæ domus alteri Luminarium corpore jungitur, vel cum Luminare alterutrum dominium ſibi in prima vel octava vendicat.

Hieronymus Savonarola, combuſtus Florentiæ, juſſu Pontificis, ob religionem, An. 1498. utrumq; Luminare in ſignis violentis habuit, & alteri, Lunæ videlicet in Capricorno junctum, Martē dominum adſcendentis, in decima domo.

N. Schlußenfelderus, Patritius Norimbergenſis in publico exercitio equeſtri, à ſuo Antagoniſta haſtâ ictus, cataphractus ab eqvo deficiente animâ prolapſus, protinus expiravit, An. 1546. ei utrumq; Luminare ſimiliter in ſignis violentis conſtituebatur, & Soli in ſexta, Saturnus dominus octavæ corpore junctus erat in Capricorno. Mars autem diſpoſitor Luminaris conditionarii fuit in ſigno humano, ſcilicet Geminis in undecima domo, qui autorem mortis hominem amicum & ſocium futurum ſignificabat.

Ludovicus Rex Bohemiæ & Ungariæ &c. qui A. Domini 1526 Menſe Auguſtô, bellô cum Turcis infeliciter geſtô, occubuit, præcipitatus, ut fertur, ab equo in palutoſo loco; Solem habuit cum Hercule, Lunam cum corde Scorpii, Venerem Dominam Horoſcopi & octavæ domus junctam Soli. Cumq; ſtellæ iſtæ ſint Martiæ, & Mars fuerit in duodecima, ab equis cauſam mortis oriturā portendit.

III.

§. 311. Alterum Luminare in ſignis violentis, alterum cum ſtella fixa violenta, itidem mortem violentam ſignificat. Sed in hoc caſu neceſſe eſt, ut ſimul maleficarum altera Luminare alterutrum, aut dominum octavæ infeſtet. *Talis conſtitutio fuit in themate Bartholomæi Welſeri junioris, Patritii Auguſtani, qui Solem in Scorpione habuit, Lunam cum oculo Tauri Porro Saturnus conjunctione, Mars verò qvadrato Solem circumdabat. Occiſus eſt igitur ab Hiſpanis cum ſuo ſodali, qvi fuit ex nobili familia Huttenica, Anno 1545, in India.*

Hen-

Henricus Heinzelius, Patritius Auguſtanus, interfectus Lugduni in Galliis, anno 1529. die 3. Julii, ſimiliter Solem habuit in Aqvario, Lunam cum Hercule, Saturnus Lunam conjunctione, Solem oppoſitione infeſtabat Marte Jovi domino octavæ, oppoſito.

IV.

§. 312. Ambo Luminaria ab utroq; malefico læſa, ita ut alterum Luminare, & alteruter maleficorum in ſigno violento, vel cum ſtella fixa violēta conſtituatur, mortem violentam portendunt.

§. 313. Similiter cum ambo Luminaria ab unico duntaxat malefico infeſtantur, altero maleficorum læſo, vel in ſigno violento verſante ac dominium ſibi in octava domo vendicante.

Huldericus in Hoff, Patritius Auguſtanus ita utrumq; Luminare damnatum habuit ab ambobus maleficis, Solem à Marte conjuncto in Ariete ſigno violento, Lunam à Saturno oppoſito. Interfectus eſt Aqvilegii A. 1517. die 2. Februarii.

V.

§. 314. Conjunctio Saturni & Martis in angulo, potiſſimum verò Medii

cœli, in ſigno violento, aut alterutrum Luminare infeſtans, mortem violentam minatur.

§.315. Idem facit Conjunctio, oppoſitus, vel qvadratus adſpectus maleficarum mutuus, in aliis qvam violentis ſignis, ex angulis tamen, altero eorum dominium octavæ domus ſibi vendicante.

Hujus regulæ aliqvot exempla collecta ſunt in tractatu Aſtrologico Lucæ Gaurici, habet etiam aliqva Hieronymus Cardanus in ſupplemento Ephemeridum.

VI.

§.316. Maleficus Planeta in octava domo, & dominus octavæ læſus à malefico, aut naturâ ſuâ maleficus exiſtens, ac in ſigno violento, ambobus Luminaribus, aut earum alterô, læſo aut in ſigno violento conſtituto, mortem violẽtam portendit. *Talis eſt genitura Joannis Pauli Zaſii, qvi anno 1552. die 9. Junii in Ungaria occubuit interfectus à Turcis. In figura enim ejus cœleſti Mars in octava, & dominus octavæ Jupiter in Martis qvadrato conſtituitur. Sol in Aqvario ſigno violento,*

lento. Similis eſt conſtellatio in Simonis Manlichii Auguſtani nativitate, qui Saturnum in octava, in Scorpione, retrogradum habuit, Venerem dominam octavæ læſam à Marte per conjunctionem, & utrumq; Luminare à Saturno impeditum.

VII.

§.317. Dominus octavæ in Horoſcopo, in ſuo detrimento, vel caſu, aut in ſigno violento, vel cum ſtella fixa violenta, alterô Luminarium à maleficis infeſtatô, violenta morte perituros ſignificat.

§.318. Idem decernit dominus octavæ in ſuo detrimento, vel caſu, læſus ab altera maleficarum ſimul, Luminarium alterô, in ſigno violento poſito.

Hujus rei exemplum eſt genitura Joannis Mariæ Ducis Mediolanenſis &c. qui Lunam dominam octavæ in horoſcopo cum ſtella fixa violenta, & cum cauda Draconis habuit, Sole ab oppoſito Marte infeſtato, occiſus eſt in templo à ſuo cive.

Johannes Welſerus Senior, Patritius Auguſtanus ſubmerſus in aquis caſu an 1528. Dominũ octavæ Jovem in detrimento ſuo

con-

conſtitutũ habuit, in Saturni oppoſito, qvi in Piſcibus in duodecima conſtitit, Sole in Ariete, ſigno violento decurrente.

IIX.

§ 319. Dominus Horoſcopi in ſigno violento, vel à maleficis infeſtatus, & diſpoſitor Luminaris conditionarii ſimiliter, vel in ſigno violento vel adflictus â maleficis: βιοϑανάτȣς ſignificat, Sed in hoc caſu neceſſe eſt, aut dominum horoſcopi, aut diſpoſitorem Luminaris, utrôqve incommodô laborare, ſi alter unô tantum laboret, exceptô eô caſu, cum uterqve eſt naturâ maleficus. Sin alter beneficus, alter verò maleficus fuerit, oportet beneficum duplici incommodo laborare, hoc eſt, in ſigno violento eſſe & adflictum â maleficis, Maleficum aut in ſigno violento aut ab altera maleficarum eſſe afflictum.

Hujus aphoriſmi plurima geniturarum exempla paſſim reperiuntur; Talis fuit genitura bellicoſiſſimi herois, Caroli Burgundiæ Ducis, qvi occubuit anno 1476. ab Helvetiis ſuperatus

Item

Item Alexander Medices Dux Florentinus à ſuo conſobrino interfectus.

Petrus Aloiſius Farneſius Dux Placentiæ Pauli 3. Pontificis filius multis vulneribus confoſſus.

Eraſmus Herwardus, Patritius Auguſtanus, qui in exercitu Imperatoris, contra Gallos, fortiter pugnans, apud Allobroges occubuit anno 1544.

IX.

§.320. Dominus Horoſcopi in octava, naturâ maleficus & damnatus, morte violentâ natum periturum ſignificat. Qvod ſi non ſit naturâ maleficus, attamẽ in ſigno violento, & damnatus à maleficorum inimico aſpectu, perinde eſt.

X.

§. 321. Octavæ & primæ domus domini, utriusqve Luminaris diſpoſitores, altero eorum verſante in ſuo detrimento, vel caſu, alterô naturâ maleficô & damnante alterutrum Luminare, conſtitutum in ſigno violento, violentæ mortis exitum portendit.

XI.

§. 322. Luna in ſeptima, in ſignis, qvæ

qvæ violentas ſtellas habent, utpote *Tauro, Geminis, Cancro, Sagittario*, & à Sole inimico radio adſpecta, vel maligno planetâ octavã occupante, aut ſaltẽ dominium octavæ domus ſibi vendicante, ita ut ſimul violentum ſignum occupet, ſimiliter violentæ mortis indicium præbet.

§.313. Ab his aphoriſmis ſingulis violentæ mortis indicia ſatis certa ſumuntur. Fieri autem poteſt interdum, ut non tantum unus, ſed plures ſimul ad eandem nativitatem accommodari posſint, id ubi fit, eò triſtius eſt & evidentius, ac certius violentæ mortis ſignum. Similiter ubi in aphorismis alterius Luminaris damnati mentionem fecimus, ſi id utriqve eveniat, itidem ominoſum & violentum eſt. Item ſi utraqve maleficarum aliqvem ſignificatorem infeſtet &c.

§.314. Porrò omnium horum aphorismorum una eſt generalis exceptio, qvæ omnibus regulis, etiam cum plures in eodem ſignificato congruunt, derogat, videlicet, beneficorum plane-

tarum

tarum alterius in octava, alterius in prima domo conſtitutio. Hic poſitus omnē violentæ mortis ſignificationem, qvantumvis tetram, infringit & tollit; Qvi ſi abſit, violentam mortem ſatis evidendenter ſignificant ſinguli hi aphoriſmi, ex qvingentarum propè nativitatum exemplis, adhibitâ diligenti conſideratione, eruti.

GENUS MORTIS VIOLENTÆ.

§. 325. Id ſumitur à Planeta malefico, qvi gravius lædit ſignificatores mortis, aut præcipuam autoritatem ac vim habet, in locis ſignificatorum mortis, videlicet luminarium, domini horoſcopi & domini octavæ, vel harum domorum, commiſcendo ei naturam ſigni & interdum domus cœleſtis, in qva verſatur, ſignificationem. Qvod facilè ex exemplis ſuperioribus conſtabit.

Saturnus pro ſua natura ſignificat mortem ex ſubmerſione ſeu naufragio, venenis, & ruina.

Mars

Mars ex ferro, igne, fulmine, vel globo bombardario, laceratione beſtiarum & raptatione, ſeu ictu eqvorum. *Uterq;* propter caſum ab alto, vel ſtrangulationem.

SIGNORUM *natura & ſignificatio hæc eſt.*

IGNEA ex igne, fulmine vel bombarda mortem minanrur.

AEREA, caſum ab alto & ſtrangulationem.

AQVEA, ſubmerſionem.

TERREA, ruinam.

HUMANA, ab homine per arma ac violentiam.

VENENATA, à veneno.

DOMORUM *natura non eſt obſcura:*

Decima domus mortem â magnatibus, aut eorum juſſu, futuram ſignificat.

Duodecima, ab eqvis, vel occultis inimicis.

Sexta, â ſervis, vel vicinis. Et ſic de reliqvis.

§. 326. Qvod ſi natura ſigni & Planetæ ratione qualitatum convenerint, ut *Martis* in ſigno igneo conſtitutio: ſatis

evi-

evidenter genus mortis declaratur, videlicet ex igne &c.

§. 327. Si diſcrepant natura Planetæ & ſigni; conſideranda ſunt reliqvorum ſignificatorum ſigna, & convenientia eorum in eodẽ decreto diligenter qværenda. Regulis enim hæc varietas complecti neqvit, ſed judicantis acrimoniæ ac ſolertiæ relinqvitur.

§ 328. Qvod ſi nulla, juxta præcedentes regulas, violentæ mortis ſigna in genitura aliqva ſe offerant, ſatis magnum judicium eſt, eum natũ morte naturali moriturũ ex infirmitate ſeu morbo, ut ferè fieri ſolet. Hujus qvalitas ſumitur â natura planetæ & ſigni octavam domum occupantis, ubi ſi plures fuerint, ſemper fortior cœteris præferatur. Si nullus in ea domo planeta fuerit â natura Planetæ octavæ domui imperantis, & ſigni, in qvo verſatur. Supra autem in loco de infirmitatibus oſtendimus, qvi morbi, â qvibus ſignis & planetis ſignificentur, qvæ huc facilè referri qveunt.

RE-

§.329. REPENTINA mors, qvæ velut medium qviddam eſt inter violentam & naturalem, violentæ tamen proprior, portendi intelligitur, ex imperfecta cõſtitutione, qvæ violentam mortem ſignificatura fuerat, ut ſi *juxta qvartum aphoriſmum ſuperiorem*, ambo luminaria eſſent ab utroqve maleficorum læſa, & alterum eorum tantum in violento conſtitueretur ſigno, imperfecta foret ſignificatio violentæ mortis, ac pro ea potius repentinam ac ſubitaneam mortem decerneret &c. Nam ad perfectam violentæ mortis conſtitutionem reqvirebatur, ut etiam altera maleficarum violentum ſignum obtineret.

DE ELECTIONIBUS.

§. 330. ELECTIONEM nominant Aſtrologi, obſervationem dierum, vel horarum, qvæ ratione cujusqve genituræ, ſi ea cognita ſit, & ratione motus cœli ac ſiderum, auſpicatæ ſunt rebus gerendis: vel contra.

§. 331.

§. 331. Qvia autem hæc pars doctrinæ Aſtrologicæ nugis & commentis Arabum & Chaldæorum mirum in modùm depravatè tradita eſt, ut qvi egresſi artis metas, avaritiâ vel ambitione, infinitas ἐπιλογὰς rerum minimè ſubjectarum aſtris, effinxerunt, rectè diſcernenda ſunt â Phyſicis obſervationibus ſuperſtitioſa & ἀναιτιολόγητα temporũ diſcrimina, qvæ ſine naturalium cauſarum conſideratione fiunt, qvalia ſunt nugacisſima illa ἀποτελέσματα περὶ τῶν ἐρωτήσεων, qvæ nullâ ratione explicari, aut ad cauſas phyſicas referri qveunt, item Sortes & his ſimilia.

§. 332. Phyſica temporum diſcrimina ſumpta ſunt â viribus ac conſtantisſimo motu cœli & corporum cœleſtium, ex qvorum conſideratione, ſi ritè evolvantur, multa œconomica, politica, & ad valetudinem conſervandam propè neceſſaria præcepta, eruuntur, qvalia ſunt etiam in medicorum doctrina, de diebus criticis, de humorum in corpore redundantia, aut defectu.

Item

Item in præceptis rei ruſticæ, annotata ab antiqvisſimis Poëtis & ſcriptoribus ejus doctrinæ. Horum obſervatio ut non officit religioni, ita ſi ad uſum dextrè & prudenter accommodetur, utilitatem habet non contemnendam.

§. 333. Duæ ſunt autem Electionum phyſicarum velut ſpecies: univerſalis & particularis.

§. 334. Univerſales Electiones appellare poſſumus eas, in qvarum conſideratione non reqviritur alicujus nativitas, ut in inchoationibus certarum operarum, & iis, qvæ ad agriculturam pertinent: Aut ubi haberi neqvit themana talitium ejus, cui electiones fiunt, qvalis eſt ratio electionum, qvæ paſſim in Diariis annotantur.

§. 335. Particulares electiones ferè ad medicationes referri poſſunt, qvorum præcipua capita ſunt.

Sectiones venarum.
Pharmaca.
Certi alicujus membri curatio.
Ablactationes infantum.
Balnea.

Sectio-

Sectiones capillorum aut unguium.

Conjugia.

Dignitatum & officiorum fauſta exordia.

Peregrinationes, legationes, navigationes, commigrationes.

§. 336. Harum actionum electiones fieri poſſunt, cum naturales ſint, & natura adjuvante perficiantur. Ideoqve à ſiderum poſitu & conſtitutione juvari aut impediri egregiè poſſunt.

§. 337. Tempus in electionibus obſervandum duplex eſt: in qvibusdam ſufficit, ſolum diem eligere, qvò Luna jungitur Planetæ gubernatori negotiorum, pro qvibus electio fit, aut gubernator negotii in dignitatibus ſuis conſtitutus, ad felicem aſpectum pervenit.

§ 338. In qvibusdam non ſatis eſt, diem ſolum eligere, ſed etiam hora obſervanda eſt conſtitutô totius cœli themate, ut ſignificatores in cardinibus feliciter conſiſtant.

De

UNIVERSALIBUS
ELECTIONIBUS.

Cum thema natalitium ejus, pro qvo ſit electio, haberi non poteſt in genere, hoc modo agendum eſt:

§.339. I. Conſidera diligenter ipſius rei naturam & qvalitatem, ut, pro pharmacorum electione, ætatem, & temperamentũ hominis, item humorum extrahendorum naturam & qvalitatem &c. Prolixius hoc exponit *Pontanus*, in explicatione XI. Aphoriſmi centum propoſitionum Ptolemæi. Deinde artis rationem, ut ne humores crudos purges &c.

§.340. Poſteà conſidera cœleſtia corpora hoc ordine.

I.

Luna ſit

- libera, ab omnibus impedimentis, & fortis.
- In ſigno convenienti rei propoſitæ, fixo, vel mobili. Mobilia enim & communia, celeritati negotiorum conferunt: fixa ſtabilitati.
- In fauſto aſpectu ejus Planetæ, qvi habet ſignificationem rei propoſitæ.

§.341.

II.

§.341. Planeta ſignificator rei propoſitæ, (ut *Venus* pro nuptiis, *Juppiter* pro divitiis) ſit conſtitutus in ſuis dignitatibus.

III.

§.342. Domus ſignificatrix rei propoſitæ, atq; ejus dominus careant prorſus maleficarum aſpectu, & cum bonis, ſi fieri poteſt, configurentur.

IV.

§.343. Aſcendens ſignum ſit de natura rei propoſitæ, ut pro itineribus & negotiorum celeritate ſigna mobilia, pro rixis, Martia &c. pro ſtabilibus fixa: & ejus dominus ſit directus & benè conſtitutus: ita ut, ſi fieri poteſt, feliciter ſuam domum aſpiciat, Lunâ ab ea domo remota corpore: Et hæc conſtitutio, in omnium operum inchoatione, fauſta judicatur.

§.344. Hæc conſideratio in univerſalibus ſufficit, ubi figura natalitia haberi non poteſt. Qvæ verò ſine genitura aliqva conſideratur univerſaliter, ea ma|ori ex parte ad agriculturam

pertinent, & his capitibus continentur.

De ſatione & plantatione.
De materia cædenda.
De venatione, piſcationibꝰ, aucupio,
De ſtructuris ædificiorum.
De hæreditatibus adeundis.
De commigratione ſeu domorum mutatione.

§.345. Horum explicationem breviter ſubjungemus, hoc tamen præmonentes, in ſationibus, inſitionibus, plantationibus, & materia cædenda, primò omnium habendam eſſe rationem univerſalium temporum, terræ, ſeminum, & ſurculorum, poſtea particularium, eâ ratione, ut ſeqvitur:

§.346. *Plantandi & ſeminandi* idonea tempora, à Lunæ motu ſumuntur, qvæ ſi citra impedimenta in *Ariete, Cancro, Virgine, Libra*, aut *Capricorno* conſtituatur, ſationibus apta eſt, in *Tauro* & *Aqvario* plantationi. Si in terram humidam, aut ſemen naturâ humidum feres, aptius eſt Luna diminuta lumine, aucta commodior eſt aridis.

§. 347. Deinde cum Saturnus naturalem ſignificationem plantarum & agriculturæ habeat, ejus poſitus, in bono cœli loco & fauſta ad Lunam configuratione, non parum momenti habet.

§. 348. Qvod ſi omninò figuram cœli ſuper hac electione conſtituere voles, in aſcendente ponatur vel *Taurus*, *Cancer*, *Virgo*, *Libra*, *Aqvarius*, vel *Capricornus*, ita ut *Mars* debilis, & in abjecto loco nulla prorſus aſpectu aſcendens, aut Lunam intueatur.

§. 349 *Materiæ cædendæ* idoneum tempus in genere eſt à Solſtitio æſtivo, usqve ad brumam; vel Januarii calendas, qvod his menſibus ligna, areſcente & pereunte humore, ſicciora & ſolidiora fiant. In ſpecie verò, â plenilunio in ultimam qvadram cœſa materia ædificiorum, cariem non facilè ſentit.

§. 350. *Venationes* tentandæ ſunt Lunâ verſante in *Ariete*, *Leone*, aut *Sagittario*, & Marti amicô radiô configuratâ.

§.351. Qvod ſi figuram electionis cœleſtem conſtituere libet, horoſcopet ſignum mobile, Luna in medio cœli, in Jovis aut Veneris aſpectu amico, Marte, ſi fieri poteſt, in ſeptima conſtituto, & Saturno cadente ab angulo, ut Aſcendens prorſus non aſpiciat. Si truculentas feras venaberis, qvales ſunt lupi, urſi, apri, Mars abſit ex angulo Luna è ſexta domo & impedimentis maleficarum, nec aſcendat ſignum qvadrupes.

§.352. Piſcationes convenientiores ſunt, Lunâ in *Cancro*, vel *Piſcibus* verſante, & in medio cœli figuræ cœleſtis, ſi eam erigere voles, Venere ex ſeptima Lunam aſpiciente, vel Lunâ ad eam applicante.

§.353. Aucupia fiunt commodè in ſignis aëreis, videlicet *Geminis*, *Virgine Sagittario*, *Piſcibus*, Luna exiſtente, & ad Mercurium fortunatum, ac in bono loco figuræ exiſtentem, applicante.

§.354. Un-

§. 354. Univerſaliter autem Luna applicans planetis retrogradis, in angulo verſantibus, nocet venationibus.

§. 355. *Ædificiorũ fundamenta* jacienda ſunt obſervatô ſignô & planetâ, cui ſubjectus eſt locus & civitas, ſive fortuna ſit ſive infortuna. In initio operis igitur planeta ille medium cœli obtineat, & cum Jove conjungatur, aut certè eum felici aſpectu intueatur. Luna creſcat lumine, & Jovi vel Veneri aſſocietur, ſeparata â Saturno.

§. 356. Qvod ſi *Sagittarius*, vel *Piſces*, vel *terrea ſigna* horoſcopent, â Marte non læſa, & Luna remota ab iis, optimum erit.

Item ſi dominus aſcendentis ſit in exaltatione ſua.

Item ſi dominus termini aſcendentis ſit fortuna.

Sit etiam qvarta domus fortunata in eo caſu.

Huc refer Ptolemæi 36. & 54. Aphoriſmos centiloqvii diligentiſſimè explicatos à Joviano Pontano.

L 4 §. 358.

§.357. Hæreditatis adeundæ ſuntLunâ in dignitatibus ſuis præcipuis conſtitutâ, in Jovis aſpectu benevolo, â maleficis non impedita. Si thema cœli ad hanc conſiderationem erigere libet, vide ut qvarta domus ſignum fixum habeat, & cum ſuo domino ſit ſalva & beneficorum radiis illuſtrata. Item, ut fortunæ in angulis Orientis, & imi cœli dignitatem habeant, luminaribus ea qvoqve loca benigniter aſpicientibus. *Huc pertinet 84. Aphoriſmus Centiloqvii &c.*

§. 358. Commigrationes & domorum mutationes fieri debent, creſcente lumine Lunâ, in ſigno fixo, & fortunis eam aſpicientibus, ab aſcendente vel qvarta. Item ſecundâ domô ſalvâ, atqve ejus dominô ſupra terram. Qvartâ item ab infortunis & ſignis incommodis liberâ, præſertim Scorpio.

De ELECTIONIBUS PARTICULARIBUS.

§. 359. In

§. 359. In iis, qvæ ad electiones pertinent, præſertim perſonarum, diligenter obſervandum eſt hoc præceptum, prodeſſe eas nato, ſi cum ejus genitura convenientiam habuerint. Solas autem & nulla genituræ habitâ ratione, parum prodeſſe, ac ferè inanes eſſe, ut ſi qvis *pharmacis* diem auſpicatum eligat, qvô Luna per Piſces, vel Cancrum iter faciat, ut plerumqve in Diariis hæc annotari ſolent, & in radice nativitatis Saturnum habeat poſitum in eo ſigno, vel Martem, haud auſpicatò eô die pharmacis utetur. Eôdem modô, ſi qvis nuptiis tempus conveniens eligat, qvo Venus in dignitatibus ſuis optimè conſtituatur, Lunâ cum Jove feliciter poſitâ, nec ullam interim habeat rationem nativitatis, utrum ea felices vel infelices nuptias decernat, is qvantumvis auſpicatâ electione utatur, tamen ſi repugnet natalis conſtitutio, infeliciter electionem faciet. Neqve verò tantum poſitus ſignificatorum in radice, ſed etiam tempus eventus ab eis de-

decretum ac conſtitutum, utpote conjugii, honoris, ſucceſſum, valetudinis &c. conſiderari debet, per directionum doctrinam, nam ſi hoc nondum advenerit, parum profuerit, felicem electionem feciſſe. Hoc enim fundamentum eſt electionum. *Memini, me Norimbergæ cuidam diviti mercatori, petenti à me, electionem luſui aleæ ludendæ, conſtituiſſe diem & horã, quâ ſupra octingentos coronatos lucratus eſt. Cum enim mihi exhiberet geneſin ſuam deprehendi Venerem conſtitutam in Sagittario, in ſecunda, Lunam igitur in eo ſigno conſtitui in aſcendente in Veneris benigno aſpectu. Venus enim præeſt aleæ. Sed cum poſtea diligentius examinarem ejus nativitatem, inveni, in illud tempus feliciſſimas directiones incidere, quarum favore, eô annô, feliciſſimus & divitiis auctus fuit. Cumq; eidem biennio poſt, eôdem modô, electionem facerem, mediocrem ſummam pecuniæ amiſit ludens, & tamẽ eâdem ratione, quâ anteà electionem conſtitueram. Sed directiones ejus anni habuit infeliciſſimas, in quo etiam alterum crus fregit, ac conjugem amiſit & c.* Hoc ideo prolixius moneo, ut

cau-

cautior ſis in electionibus conſtituendis, nec mireris, eas interdum procul à ſcopo aberrare, cum videlicet fundamẽta directionum repugnant. Nunc ordine capita præcipuarum electionum explicabimus.

Electio ſectionis Venarum.

§. 360. Hæc conſideratio in medicationibus neceſſarium uſum habet.

1. Primum conſiderentur hæc generalia: Ætas hominis, complexio, dies ſerena, anni tempus commodum, niſi neceſſitas urgeat ſectionem, in eo enim caſu prudentes Medici electionem neceſſitati, propter moræ periculum, plerumque poſtponunt.

2. Deinde Lunæ configurationem, cum Sole:

Juvenibus convenit Luna creſcens lumine.

Senibus & ætate provectioribus decreſcens vel diminuta lumine.

3. Signum, quod Luna occupat pro ratione complexionis nati.

Signa apta *Sangvineis* Bona & Mediocria qvælibet ſunt.

Signa apta *Cholericis* ſunt ♋ ♏ ♓.

Signa apta *Phlegmaticis* ſunt hæc ignea ♈ ♐.

Signa apta *Melancholicis* ſunt hæc aërea ♎ ♒.

Modò ne Saturnus vel Mars in Radice Nativitatis ea ſigna occupent, aut infeliciter aſpiciant.

Reliqva ſigna *Gemini*, *Leo*, *Scorpio*, Item terrea *Taurus*, *Virgo*, *Capricornus*, impediunt ſangvinis miſſionem.

§.361. Omnino autem in loco Lunæ cavendum eſt, ne membrum ſcalpellô feriatur, cujus membri ſignum Luna, eo tempore occupat. Nam cum ea, totum corpus humectet, id membrum præcipuè humoribus implet, qvod ei ſigno ſubjicitur, per qvod tunc ipſa diſcurrit, ex cujus nimia humectatione magnum ei nocumentum afferri poteſt, ſi ferrô tunc ictum fuerit. Qvod verò

verò ſignum, cui membro præſit, ſupra in judicio de ægritudinibus expoſuimus.

§.362. 4. Luna libera ſit ab impedimentis maleficarum & beneficis amicô radiô configurata.

§.363. Hæc etiam ſine nativitate nati cognita uſum habent, qvod ſi conſtiterit tibi de ejus nativitate, diligenter inqvire, qvæ ſigna malefici occupent, nam ea incommodisſima ſunt miſſioni ſangvinis, deinde cave, ne eô momentô aſcendat ſignum tale, qvod in radice duodecimam, ſextam, vel octavam domum occupet, aut in qvo malefici verſabantur, aut ſuos radios hoſtiles ſparſerunt. Tertiò cave, ne dominus aſcendentis ſigni, tempore phlebotomiæ, ſit in qvarta cum Luna, aut cum domino octavæ configuratus. Malefici cadant ab angulis. Poſtremò ſeptima & ejus dominus non impediantur à maleficis. Nam hic locus chyrurgum ſignificat.

Potiones qvando ægrotantibus dandæ ſint.

§. 364. Primum, ſi fieri poteſt, & niſi majora impediant pericula, habenda erit ratio generalium temporum. Vere corpora commodius purgantur, qvam Æſtate, aut Hyeme, difficilius circa *Canis* ortum & occaſum. Idem frigidisſimis, aut calidisſimis diebus.

§. 365. 2. Deinde obſervanda erit Luna, qvæ decreſcens lumine, & ab impedimentis maleficarum, aut conjunctione, cum retrogrado Planeta, libera, commodior eſt purgandis humoribus, niſi prorſus Soli propinqva ſit, tum enim prohibitum eſt ægrotis medicinam facere.

§. 366. 3. Signum, per qvod Luna decurrit. Aqvea autem, *Cancer, Scorpius, Piſces*, maximè ſunt idonea ſubducendis pravis humoribus phlegmaticis, propterea qvod Luna humectatrix corporum, in ſimilibus ſuæ naturæ ſignis, vires ſuas magis exerens, alvum etiam efficacius cieat. Aerea ſigna, *Gemini, Libra* & *Aqvarius*, commodiora ſunt melancholicis humoribus purgandis.

§. 367.

§. 367. Ex his tamen imbecilliora ſunt *Cancer* & *Gemini*, quia præſunt ſuperioribus corporis partibus, & magis vomitum, quam alvum movent.

§. 368. 4. Habenda erit etiam ratio configurationis reliquorum Planetarum, cum Luna.

Saturnus & Mars Lunam aſpicientes qvoqvô modô, impediunt medicationes.

Sol & Venus bonô aſpectu cum Luna configurati, juvant.

Jovis autem & Lunæ conjunctio omnino hebetat vim purgationum, ita augens corporis vigorem, ut medicamentorum vis excocta parum poſſit.

§. 369. Quod ſi Horam ſumendis pharmacis aptam qvoqve eligere libet, cavebis, ne aſcendant ſigna ruminantia, *Aries, Taurus, Capricornus*, aut *Leo*. Item ſigna ſuperioribus partibus corporis dominantia, quæ impediunt, quo minus ſordes ad inferiora ferantur. Aptiſſima ſunt aquea.

§ 370. Dominus ſigni horoſcopantis jungatur corpore, aut aſpectu Planetæ

netæ alicui, ſub terra verſanti. Nam ſi conjungatur ſtellæ, qvæ ſupra terram feratur, excitatâ nauſea movebitur ſtomachus, qvem motum ſubſeqvens vomitus purgationem ipſam impediet.

Electio curationis certi alicujus membri affecti.

§.371. Membrum affectum commodè confortatur, dum ſignum, qvod ei membro dominatur, à maleficorum præſentia & eorum aſpectu inimico, liberum eſt, & Luna, non impeditâ, per illud ſignum iter faciat, beneficis conjuncta.

Item planetâ bene affectô, qvi dominatur illi membro.

Item ſignô aſcendente, horâ curationis, benè â benignis affectô.

Electio balneis conveniens.

§.372. Balnea aut munditiei, aut ſanitatis recuperandæ gratiâ, adhibentur. Qvæ munditiem præcipuè ſpectant, commodè fiunt eô tempore, qvô ſan-

ſangvinis miſſio eſt ſalutaris & fauſta, Lunâ videlicet in Libra aut Piſcibus, cum Venere, aut in ejus amico aſpectu verſante.

§.373. Qvæ valetudinis cauſa adhibentur, variant, pro ratione morbi, qvi ſi humectationem deſiderat, ut in tabidis, Luna ſit in aqveis ſignis, & in Jovis ac Veneris benigno aſpectu. Sin deſiccationem, ut in paraliticis, Luna in ſignis igneis, *Ariete, Leone, Sagittario,* ac Solis, aut Martis amica configuratione ſit conſtituta.

Capilli qvando tondendi ſint.

§. 374. Lunâ creſcente & in ſignis piloſis, præcipuè verò *Tauro, Virgine, Libra,* conſtituta in Jovis aut Veneris aſpectu bono, capilli tonſi, citò & cum decore renaſcuntur.

§. 375. E contra tardius, Lunâ decreſcente, & per *Cancrum, Scorpionem, Piſces*, vel *Sagittarium* iter faciente, in aſpectu Solis vel Mercurii bono.

§.376.

§.376. Lumine diminuta Luna in Ariete calvos facit, ſi eo tempore tonſio fiat, præſertim ſi à maleficis malè affecta ſit.

Quando ablactandi ſint infantes.

Appetitus & gula plerumque inclinant ad naturam ſigni, quod Luna tempore ablactati infantes tenuit, & quod eo tempore aſcendit, & naturam planetarum, qui cum illis ſignis participant.

§.377. Signa humana & Venerea Luna in benefico aſpectu beneficarum delicatos faciunt.

§.378. Leo & Mars carnium appetentes.

§.379. Aquea, qui piſcium eſu magis delectentur.

§.380. Terrea, qui leguminibus ac fructibus aut rebus, è terra naſcentibus.

§.381. *Aries & Capricornus* præferuntur omnibus, ſi à Saturno benè adſpiciantur.

§. 382. Luna à Sole remota & feralis, tempore ablactionis prodeſt, ad hæc, ut infans facilius obliviſcatur nutricis.

Conjugum deſponſationes, quô tempore auſpicatiores ſint.

§. 383. I. In virorum deſponſationibus Luna & Venus cum Jove feliciter configurentur, in potentioribus locis figuræ cœli.

§. 384. In fœmellarum connubiis, Sol & Mars.

§. 385. II. Signum domus ſeptimæ ac Lunæ (ſi pro hora etiam thema cœli conſtituere libet) & aſcendens, ſalvum ſit, & ex eorum numero quæ favent conjugio: Ea ſunt *Taurus, Libra, Sagittarius, Aquarius, Piſces*, & pro viduis *Virgo*.

§. 386. Sed, ut ſupra dixi, neceſſe eſt, utriusque conjugis genituram, habere felices conjugii ſignificationes, atque ita demum aliquid proderit electio.

Digni-

Dignitatum & officiorum initia, qvo tempore ſint auſpicatiora.

§. 387. 1. Luminaria ſint in ſuis dignitatibus, ſi fieri poteſt, aut certè non impedita à maleficis.

2. Fortunæ (præcipuè Juppiter) ſint in Aſcendente, directæ, Sol in medio cœli.

3. Undecima domus & ſecunda ſint fortes, & benè affectæ, nam hæc popularem cenſum, illa conſiliarios & domeſticos, qvi conſilia & opera demum adſunt, ſignificat.

§. 388. Qvare ſi hæc loca à malevolis ſint occupata, detrimẽta & incommoda ab eorum ſignificatis portendunt, eoq́ve majora, ſi beneficæ ſtellæ illis nullam operam attulerint.

§. 389. In militaribus dignitatibus ſubeundis, neceſſe eſt Martem feliciter eſſe conſtitutum.

§. 390. Sed ſucceſſus dignitatum & officiorum manifeſtius ex themate natalitio apparebit

Electio temporis accommodati peregrinationibus & Legationibus.

§.391. Hæ electiones, ſine themate Genituræ, aut Revolutionis utiliter fieri non poſſunt. Proinde eam diem & horam eligas peregrinationibus ſuſcipiendis, qvâ Luna & Aſcendens congruant cum radice nativitatis, aut revolutionis anni.

§.392. Nona & tertia domus atqve harum domini ſint benè affecti. Signa aqvea navigationibus; fixa itineribus terreſtribus conveniunt. Deinde negotiorum qvalitates conſiderandæ ſunt.

§.393. I. Qvando iter ſuſceptum eſt ad Regem, decima domus nativitatis conſiſtat in Aſcendente.

§.394. Si negotiationum cauſa peregrinatio fuerit inſtituta, domus ſecunda radicis in aſcendente figuræ electionis conſtituatur.

§.395. 2. Planetæ, dominantes perſonis, ad qvos ſuſcipitur legatio, vel profectio, ſint fortes, & benè conſtituti.

§.369.

§. 396. 3. Luna, quæ propria ſignificatrix eſt itinerum, ſit fortunata, & libera ab aſpectu inimico maleficarum, beneficis configurata.

§. 397. Malefici cadant ab angulis.

§. 398. Poſtremò cum octava domus figuræ electionis index ſit eorum, qui peregrinatori eventura ſint, poſtquam ad deſtinatum locum pervenit, ſeptima eorum, quæ in abitu, ſecunda eorum, quæ in reditu, juxta Ptolemæi ſententiam: Ergo hæc loca quoque erunt conſideranda, quorum conſtitutio, ſi bona fuerit, & domini eorum locorum benefici, vel benè affecti, omnia cedent ex animi ſententia & feliciter.

De Navigatione.

§. 399. Volens hic omitto Arabum jejunas diſputationes, de navis fabricatione, & deductione in aquas, atq; hoc tantum moneo, quod *Pindarus* inquit: Sapientis nautæ eſſe, triduo ante venturam tempeſtatem, præſentire. Signa præſagientia tempeſtates evidentia ſunt.]

Lunæ cum Marte congreſſus, vel cū ſtellis fixis ejus naturæ, item ortus & occaſus Arcturi, Orionis, Hedorum, Canis, quæ ſydera quotannis ſtatas tempeſtates cient.

Similiter obſerva frigida Saturni, quo ſeſe ſtella receptet.

Item an conjunctio vel oppoſitio luminarium proxima tempeſtatem præſagiat.

§. 400. Reliquas electiones de *ludo, Alchymia, veſtibꝰ induendis, contractibꝰ, ſervorum cōductione, unguiū ſectione*, propter exilitatem volens omitto, qui volet, petat eas ex aliorum libris. Ego certè parum iſtis tribuo, qui ſciam ea à potioribus fundamentis ipſarum geniturarum, earumque directionibus certius ſumi. Quod autem ſæpius monui, in Electionibus neceſſariam eſſe collationem geniture ejus, cui electio conſtituitur, id nunc quoque moneo; ut diligenter fiat, alias parum profuerit, ſolam electionem eſſe ſecutum.

§. 401.

§.401. Poſtremò & hoc admonitione dignum eſt in hac doctrina, qvidvis auſpicatò fieri cum Luna tranſit ea ſigna, qvæ Juppiter, Venus, pars Fortunæ & caput Draconis in Radice nativitatis occupans. Item, qvæ â Jove & Venere, amicô radiô aſpiciuntur, modò ſint in locis figuræ cœli præcipuis videlicet decima, undecima, prima, vel ſecunda, libera â maleficarum radio hoſtili. Experientia enim oſtendit qvicqvid commodi, utilitatis aut voluptatis nato obvenit, id maximè ei contingere, Lunâ per hæc loca iter faciente. Sicut e contra, triſtia qvæqve & animi ac corporis perturbationes ferè ſemper eveniunt, Lunâ per loca maleficarum in Radice, aut per ea ſigna, qvæ ab illis læduntur, ingrediente. Itaqve & ſuperiores electiones *phlebotomiæ, medicamentorum* &c. auſpicatò eô tempore fieri poſſunt, niſi repugnent doctrinæ, de ſingulis capitibus, ſupra traditæ, ut ſi cui in Leone Juppiter eſſet conſtitutus in Radice, non poſſet tamen ob hoc in eo ſigno Lunâ exiſtente, commodè ſangui-

gui-

guinem mittere, cum juxta ſuperiorem, de phlebotomia, doctrinam, illud ſignum ſit inconveniens venarum ſectioni.

SECUNDA PARS.

De

JUDICIIS NATIVITATUM.

§. 402. Hactenus primam partem doctrinæ Genethliacæ, quâ potuimus diligentiâ & fide tradidimus, revocatam ad univerſalem quandam rationẽ, quâ omnium genitutarum judicia componi poſſint, omiſſis aphoriſmis & particularibus conſtitutionibus, ob brevitatem. Reſtat nunc altera & operoſior pars, de tempore eventus futuri, ſeu decreti, quô is potiſſimum ſit ſe oſtenſurus. Hæc pars ut difficilis & operoſa eſt, ita immenſum uſum vitæ & dulciſſimam voluptatem ingeniis bene natis adfert; Eſtque velut exædificatio prioris doctrinæ de judiciis, quæ mutila eſt

& manca, niſi hæc etiam de definitione temporis adjungatur.

§. 403. Ut autem breviter etiam hanc partem attingamus hoc loco, quæ per ſe prolixa eſt, primò obſervandum eſt hoc:

Tempora decretorum vel caſuum, qui nato ſunt in vita juxta poſitum & ſignificationem thematis natalitii eventuri, inquiruntur ac definiuntur triplici ratione.

1. *Per directiones ſignificatorum ad ſuos promiſſores.*
2. *Per profectiones ſignificatorum ad ſuos promiſſores, & tranſitus Planetarũ.*
3. *Per revolutiones nativitatum.*

§. 404. Ex *directionibus* deprehenditur generaliſſimum tempus eventus, videlicet *ann9. Ex profectionib9* & *tranſitibus*, poſteà *menſes* & *dies* ejus eventus, cujus annus per directiones inventus eſt, eruuntur. Sed cum directionum effectus interdum eô annô ſtatim appareat ac vigeat, in quem incidunt: interdum tardius, ut poſt annum, vel biennium, ideò illis adhibentur revolutiones an-

annuæ, velut teſtimonia evidentiora, ut ex earum convenientia, aut diſcrepantia, cum directionibus, certiùs inveniatur annus eventus futuri. Si enim directio fuerit bona, hoc eſt, ſi promittat felicitatem, & revolutio illius anni in quem incidit bona directio ſimiliter fuerit bona, hoc eſt, conveniens cum ſignificationibus directionis, effectus in anno, quem directio oſtendebat, apparebit. Sin bona fuerit directio, & revolutio illius anni mala, effectus directionis imbecillior erit eô annô, & ad ſequentium annorum aliquem vim ſuam reſervat, quò bona revolutio ei adſtipuletur. Nam directionum vis plures annos durat, donec ſignificator ad alium promiſſorem pertingat. Effectus tamen eorum evidentior eſt & fortior in initio, cum nondum ita diu durarunt & paulatim vires amittit, cum jam aliquot annis viguerunt.

DE DIRECTIONIBUS.

§. 405. Quid ſint directiones, quid

ſignificator, quid promiſſor; quæ loca ſint dirigenda, & quomodo calculus directionum inſtituendus ſit, ea omnia anteà tradita ſunt. Jam de ſignificationibus directionum ſupputarum doctrinam compendiô breviſſimô tradam.

PRIMO videndum eſt utrum facta directio bona ſeu fauſta ſit, vel mala ſeu minax, quod ab aſpectibus amicis & hoſtilibus cognoſcitur.

§.406. 1. *BONA* ſeu felix directio confert fortunam & felicitatem in iis rebus, quas ſignificator directionis factæ per ſe ſignificat, & in iis, quas ſignificat per Accidens, hoc eſt, ratione domus, in qua conſtitutus eſt, & cui vel quibus imperat in Radice.

§.407. 2. CAUSA felicitatis oſtenditur â promiſſore eodem pacto, ut jam de ſignificatore dictum eſt, per ſe & per Accidens. Deinde â domo cœleſti in qua fit occurſ9 directionis, hoc eſt, in quam domum incidit gradus promiſſoris.

§.408. 1. *MALA* ſeu infelix directio adverſam fortunam portendit in

iis

iis rebus, quas ſignificator per ſe & per accidens ſignificat, ut ſupra.

§. 409. 2. Cauſa infelicitatis orietur à rebus, quas Promiſſor directionis illius per ſe & per accidens ſignificat, & ratione loci, in quem occurſus Directionis incidit.

§. 410. SINGULORUM planetarum & locorum, quæ ſignificatorum vicem ſubire poſſunt, res, quas per ſe ſignificat, & pro quibus dirigi ſolent, ſic ſe habent.

HOROSCOPUS in quavis geneſi ſignificat vitam & corpus hominis, complexionem & corporis atque animi affectiones, mores. Si is ad loca benigna per directiones venit, ſignificat corporis atque animi proſperitatem, ſanitatem, alacritatem &c. Sin ad mala, contrarium.

LUNA, complexionem corporis & animum, itinera, peregrinationes, matrimonium, ſtatum uxoris & mulierum ſanguine junctarum.

PARS FORTUNÆ divitias & affectionem corporis. Idem ſignificat do-

minus partis fortunæ quisque ille fuerit.

MEDIUM COELI, honores, dignitates, officia & adminiſtrationes publicas, favorem magnatum magiſterium nati, & matrem. Idem ſignificat dominus ejus loci, quisquis is fuerit.

SATURNUS majores nati, patrem & avos, hæreditates, ædificationes, poſſeſſiones, fructus terræ. Item timores, metus & animi abjectionem majorem vel minorem, prout directio ejus bona vel mala fuerit.

JUPITER, Gloriam, laudem, divitias, liberos ſignificat per ſe,

MARS victoriam, fortitudinis incrementum, vel decrementum & fratres.

VENUS matrimonium, amorem, gaudia, res pretioſas, virgines & mulieres ſanguine junctas.

MERCURIUS ingenium, induſtriam, magiſterium, negotiationes, itinera & fratres minores.

Hæc per ſe ſignificant ſinguli planetæ in directionibus, & pro harum ſignificationum eventu ſinguli dirigi ſolent:

§ 411.

§. 411. Accidentales ſignificationes aſſumunt â natura domorum, in quibus conſtituuntur, atque etiam quibus imperant. Domorum autem ſingularum ſignificationes ſupra expôſuimus in loco de divitiis.

II. Quantitas effectus directionis.

§. 412. MAGNITUDO & vehementia effectuum ſumitur ab utriusque ſcilicet ſignificatoris & promiſſoris fortitudine, aut debilitate in radice nativitatis. Quando uterque eſt in ſuis dignitatibus eſſentialibus & forti loco, evidentia atq; magnitudo effectus erit inſignis, ut ſi directio eſſet Solis, ad ſextilem Lunæ, utrôq; luminari in radice potente, & in dignitatibus eſſentialibus conſtituto, ingens & manifeſta felicitas nati futura eſſet eô tempore in ſignificationibus Solis propriis & accidentalibus. Et cauſæ felicitatis illius ſimiliter eſſent futuræ graves & inſignes, quas Luna per ſe & per Accidens promitteret. Eodem modo de reliquis.

§. 413. Quando alter eorum eſt potens, alter debilis, erit effectus mediocris. Et videndum eſt, utrum ſignificator, vel promiſſor ſit fortior: Si potentior fuerit ſignificator, effectus fortunæ erit ſine gravibus cauſis. Sin promisſor, felicitas apparebit quidem, ſed nō pro magnitudine cauſæ, à quā orietur nato fortuna.

§. 414. Quando uterq; debilis eſt in radice, levis etiam erit effectus & leves cauſæ fortunæ. Et quo debiliores fuerint ſignificator & promiſſor, eo remisſiores erunt eventus & cauſæ fortunæ. Quod ſi prorſ9 debiles fuerint, fieri poteſt ut fruſtenter decreta directionum, ita ut umbra quaſi & ſpecies fortunæ ſe oſtendat, non ratus effectus.

§. 415. Atque hôc locô obſervandum eſt: Si malefici promiſſores in directionibus portendant infortunium & adverſos caſus, leviora mala futura, ſi in radice ſint fortes, atq: in domibus ſuis conſtituti, nam eas non evertunt, ac minus quam aliàs ſolent, cum malè affecti ſunt, nocent.

§. 416.

§. 416. Fit etiam ſæpè, ut in eundem annum ætatis nati incidant & bonæ & malæ directiones, diverſorum tamen ſignificatorum. Id nullam ambiguitatem parit, quia utræq; ſuas vires in eodem anno poſſunt exerere ſine mutuo impedimento, niſi ſit earum quædam convenientia, ut Lunæ & horoſcopi, quorum uterq; valetudinem ſignificat. Hôc modô aliquis eôdem annô habens directionem horoſcopi ad promiſſorem malignum: medii cœli vero ad benignum, poteſt eôdem annô & graviter decumbere, & tamen ad magnos honores pervenire. Sic fieri interdum videmus, ut aliqui in ipſis nuptiis repente moriantur. *Sic Hunniades in ipſo carcere ad regiam dignitatem electus eſt.*

§. 417. Poteſt etiam fieri, ut ejusdem ſignificatoris diverſæ directiones, bonæ & malæ, in eundem annum incidant, idque etiam nihil parit ambiguitatis. Nam diverſis temporibus ejusdem anni ſuos effectus præſtare poſſunt, perinde ut in præcedenti caſu. Hoc modo fie-

ri poteſt, ut aliquis in prima anni parte divitiis inſigniter augeatur, in poſteriore ejusdem anni parte inſignia detrimenta capiat, vel contrà.

DE PROFECTIONIBUS.

§. 418. Ratio profectionum perſimilis eſt directionibus, ſed longe facilior atque explicatior. Conveniunt autem profectiones omnibus planetis & locis iſtis, quæ aliàs dirigi ſolent, & tabella, omnibus nativitatibus inſerviente, cujus una pars dodecades annorum, altera XII. ſigna Zodiaci naturali ordine ſibi Succedentia exhibeat, maxima ex parte perficiuntur.

§. 419. Porrò cum profectiones annuæ particularia eventuum tempora, ſcilicet menſes & dies definiant, ut ſupra dictum eſt.

1. Primò ex hac tabella inquirere oportet, ad quæ ſigna & quas domos radicis pertineant, annuæ profectiones ſignificatorum, hoc eſt planetarum & locorum quæ dirigi ſolent. Id hoc modo fit.

Quære

Quære annum ætatis propoſitum, vel currentem, in corpore columnæ annorum, ſignum loci nativitatis propoſiti, vel planetæ ſignificatoris, in capite tabellæ: & invenies in angulo communi ſignum Zodiaci, ad quod profectio loci propoſiti pertingit. Hæc profectio in eam domum incidit, in qua ſignum inventum conſtituitur in radice nativitatis. Oportet autem te hic ſingulis domibus æqualem graduum numerum tribuere.

§. 420. 2. Cum inventum eſt, ad quam domum & quod ſignum radicis profectio alicujus planetæ, ſeu ſignificatoris pertingat, videndum eſt, qui aſpectus ſingulorum planetarum & quales ad illud ſignum, vel ad eam domum projiciantur.

§. 421. 3. Conſiderandum eſt, quomodo planeta is, cujus profectio inſtituta eſt, ordine applicet ad ſingulos aſpectus, qui ad eam domum ab aliis projiciuntur.

§. 422. 4. Ex his aſpectibus poſteà dies certi alicujus menſis ſupputantur,

quô profectio ſignificatoris ad aliquem promiſſorem,ſeu ejus radium pervenit, hôc modô: Subtrahe locum ſignificatoris, â loco promiſſoris, ſeu ejus radii, & relinquitur diſtantia ſignificatoris, pro cujus quolibet gradu ſume 12 dies, pro quibuslibet minutis quinque, quæ adhærent gradibus, diem unum. Summa dierum collecta, ſi â die natali numeretur, oſtendit diem & menſem, quô profectio ſignificatoris propoſiti, ad radium certi alicujus promiſſoris pervenit.

§. 423. Jam ſi voles certi alicujus decreti caſu,nato eventuri, tempus particulare definire:

1. Conſidera qualis ſit directio, bona ne, an mala, & quorum planetarum, hoc eſt, quis ſit ſignificator, quis promiſſor? Nam profectiones ſine directionibus conſideratæ parum poſſunt.

2. Poſtea conſidera dies profectionum, qui ſunt aut boni, ſeu fauſti, aut mali & infauſti, pro ratione aſpectuum amicorum vel hoſtilium, & ſi directio eſt mala, hoc eſt, ſi minatur infortuni-

um,

um, aſſume ad eam directionem ſimiles dies profectionum, ſcilicet malos, potiſſimum verò eorum ſignificatorum & promiſſorum, quorum eſt directio facta. Sin bona eſt directio, aſſumas dies profectionum felices, eorum planetarum potiſſimum, quorum ſunt directiones factæ. Ita habebis annum, menſem & diem eventus ſeu caſus, in radice ſignificati.

DE TRANSITU PLANETARUM.

§. 424. Abſolvimus breviter duas rationes definiendi tempora eventuum: directiones ſcilicet & profectiones, quarum hæ ſpecialia tempora, ſcilicet menſes & dies, illæ generalia, videlicet annos definiunt. Porrò ad ſpecialium temporum inventionem etiam utiliter adhiberi poſſunt tranſitus planetarum, quorum vis etiam evidens eſt.

§. 425. Etſi autem poſſent plures tranſitus numerari, tamen tres præcipuam habent vim & autoritatem.

1. *Planetarum ſingulorum ſuper gradum horoſcopi.*
2. *Tranſitus Solis per loca ſingulorum planetarum atq; etiam medii cœli, partis fortunæ & horoſcopi.*
3. *Domini horoſcopi per eadem loca.*

§. 426. Tot tranſitus vim & effectum evidentem habent. Dicuntur autem tranſire loca planetæ, non tantum cum corpore in illis præſentes ſunt, ſed etiã cum aſpectibus ſuis ſive beneficis, ſive inimicis loca iſta tangunt.

§. 427. De ſupputatione tranſituum non opus eſt regulam tradere, cum facilimum cuivis ſit, eos ex Ephemeridibus numerare.

§. 428. Uſus eorum præcipuus eſt is, qui profectionum, ut videlicet conjungantur cum directionibus, pro inveniendo menſe & die eventuri caſus.

§. 429. Si bona fuerit directio, etiam boni ſeu felices dies, per *tranſitus* inventi, ad directionem adſumantur, & eorum planetarum, vel locorum potiſſimùm, quorum eſt directio.

Similiter ſi mala fuerit directio, mali eligantur &c. Quod

§. 430. Quod ſi plures dies felices, aut infelices, ab iisdem planetis, quorum eſt directio ſignificentur, aſſumantur ad eas illi tranſitus, qui vel in bonam, vel in malam partem plus efficaciæ & virium habent, ut conjunctio plus valet, quam ✶, aut △. ☍ plus nocet quam □. Sic ſiniſter aſpectus efficacior eſt dextro. Atque hoc modo *tranſitus*, cum *directionibus & profectionibus* conjuncti uſum ſuum, in menſibus & diebus accidentium determinandis, habent. Res ob facilitatem exemplis nullis eget.

DE REVOLUTIONIBUS.

§. 431. Reſtat ultima pars, de *Revolutionibus nativitatum*, quæ, quemadmodum ſupra diximus, neceſſarium eſt adminiculum directionum, ut inde cōſtet, quô annô directiones ſuas vires maximè & facilimè exerere poſſint. Sed cum ſuperius, in præceptis Thematologicis, Revolutiones conſtituendi methodus explicata ſit, eò Lectorum ablegatum volumus.

De

§. 432. De uſu figuræ revolutionum ſimiliter ſupra monuimus conferendũ eſſe thema Revolutionis, cum Directione ſua, id eſt, quæ in ejus tempus incidit, quod ſi cum ea congruet, hoc eſt, ſi malæ directioni reſpondet etiam mala revolutio, ita ut eorum planetarum, quorum eſt directio mala, etiam mala ſit & debilis conſtitutio in themate revolutionis, effectus malæ directionis potiſſimũ in eum annũ incidet Eôdẽ modô ſi bona fuerit directio & in themate Revolutionis quoq; benè conſtituantur iidem planetæ, quorum eſt directio bona, effectus ejusdem directionis in eundem annum incidet. Quod ſi Revolutio non congruet cum directione ſui anni, tunc effectus directionis aut remiſſior erit & obſcurior, aut in ſequentes annos differetur, donec ei Revolutio qualitate ſignificationis conveniens reſpondeat.

Atq; hæc, de Judiciis Nativitatum doctrina, ê Cypriano Leovitio repetita ſufficiat in præſenti. Recordaberis verò, LECTOR BENEVOLE, proverbii:

Aſtra regunt fatuos, ſapiens dominabitur aſtris.

S. D. G.

Errata Typographica corrigenda.

pag.1,lin.14.leg.in Sphæricis & Theo-
ricis item lin.19. proverbium.

pag 4.lin.2. leg. ϛοχαϛικὸς.

pag.7.lin.7.leg.ut loca planetarum.

pag.20.lin.14. leg. Partium fortunæ.

pag.26.lin.14.leg. mediocria ♈ ♉ ♌ ♑.

pag.33. lin.2 leg. Significator.

pag. 42. lin.19.&20. leg. de corrigendo
Nativitatis.

pag.45.lin.16.leg.Scilicet Hermes.

pag.46.lin.9.leg. Abdias Trevv.

pag.60. lin.12.leg. Harum rationum.

pag.89. lin.1. leg. Significator.

pag.160. lin. 4. leg. Eſt autem.

pag. 186. & 187. Hæ duæ columnæ ſunt
transpoſitæ.

pag.189.lin.14.leg. Sagittarius habet.

pag. 199. lin. 4. leg. perſonas.

*Reliqua levioris momenti ſphalmata Le-
ctor Benevolus pro ſua dexteritate fa-
cilè corriget.*

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. CHRISTIANO AUGUSTO,

LIBERO BARONI à FRIESEN &c. &c.

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS RECTORI MAGNIFICO,

DOMINO SUO PERQUAM GRATIOSO,

FELICITATEM!

Um univerſa qvidem Liberalium Artium corona res ita comparata eſt, ILLUSTRISSIME LIBER BARO, *ut nulla inter eas ſit diſciplina, qvæ non* PRINCIPES *qvoqve* VIROS *deceat:* MATHESEOS *tamen, præ aliis, eam indolem videmus eſſe, ut*

ut Illuſtri loco natos, atqve Genere & Virtute verè Nobiles ad ſui amorem, arcanâ qvâdam & occultâ vi, omni ſeculô allexerit. Non dicam in præſenti, qvanto Ægyptii & Babyloniæ Proceres ſtudii hujus amore olim flagrarint. Nec Græciæ Principes, qvi inter lineas & circulos conſenuerunt, nunc memorabo. Qvod ſi temporum noſtrorum adducenda exempla ſunt: Generoſiſſimi NEPERI BARONIS MERCHISTONII

nomen meruit, qvod SE-THIANIS COLUMNIS, ſi hæ extiterint unqvam, vel exiſterent hodiè, literis inſcriberetur aureis. Qvanta enim hujus VIRI *in Arithmeticis & Geometricis imprimis fuerit exercitatio, divinum ejus Logarithmorum inventum, Illuſtrisſimo Barone non tantùm, ſed vel* REGE *dignisſimum ſatis loqvitur. Sed qvid permoverit tanti culminis Virum, ut Arithmeticorum abacis ſe addiceret, in alloqvio ad*

PO-

POTENTISSIMUM BRITANNIÆ REGEM CAROLUM I. *ipſe explicat:* Qvum nullum ſit ſtudium, *ſcribit*, vel doctrinæ genus, qvod generoſa ac heroica ingenia, ad præclara qvæqve & ſublimia magis acuat, contraq; tarda & inſulſa pectora magis obtundat, qvàm Matheſis: non mirandum eſt, eruditos & magnanimos Principes eam magnoperè prætetitis omnibus ſeculis in deliciis habuiſſe, imperitos verò

& ignavos homines eandem velut ignorantiæ ſuæ & ignaviæ hoſtem, ſemper odio acerrimo perſecutos eſſe, &c. *Credo Illuſtrem* VIRUM *Socratis illius Platonici monitum exprimere voluiſſe, qvi eodem ferè ſenſu ait: Animadvertimus eos, qvi naturâ Mathematici ſunt, ad omnes diſciplinas acutiores apparere, reliqvos, ſi in hac erudiantur, etiamſi nihil aliud utilitatis aſſeqvantur, ſeipſis tamen ingenioſiores effici ſolere. Qvæ*

enim

enim difficiliorem addiſcenti, cogitantiq́ laborem, curamq́ ingerat, non facile ullam ex rationalibus præter hanc invenies. Enimverò non ſolius Scotiæ ea gloria eſt, qvod BARONEM *dederit, de qvo Andreas Junius in Academia Edimburgena Profeſſor cecinit:*

Nunc etiam ad ſummum eſt culmen perducta Matheſis,
Inq; hoc ſtat, nec qvò progrediatur habet.

GERMANIÆ NOSTRÆ felicitatem minorem eſſe, Tuum, RECTOR ACADEMIÆ NOSTRÆ MAGNIFICE ET GENEROSISSIME LIBER BARO, *Illuſtriſſimum exemplum confutat: De qvo id affirmare ego non dubito, & N*EPERUM*, ſi revivifcat, admiraturum ſummoperè, nec negaturum* TIBI *palmam. Neq; enim numerorum arcana tantùm calluiſti dudum*

dum, ſed univerſum Oceanum Mathematicum ita emenſus es, ut nihil omninò occurrat amplius, quod penitiſſimè cognitum non habeas. Ac ſicut Pythagoras in Arithmeticis, Archimedes & Euclides in Geometricis, Ptolemæus, Copernicus & Tycho in Aſtronomicis, Alhazen & Vitellio in Opticis, Vitruvius in Architectonicis, in aliis alii, & ſinguli quidem in ſingulis ſcientiis excelluerunt; ita harum

Errata Typographica corrigenda.

pag. 1. lin. 14. leg. in Sphæricis & Theoricis item lin. 19. proverbium.

pag. 4. lin. 2. leg. στοχαστικὸς.

pag. 7. lin. 7. leg. ut loca planetarum.

pag. 20. lin. 14. leg. Partium fortunæ.

pag. 26. lin. 14. leg. mediocria ♈ ♉ ♌ ♑.

pag. 33. lin. 2. leg. Significator.

pag. 42. lin. 19. & 20. leg. de corrigendo Nativitatis.

pag. 45. lin. 16. leg. Scilicet Hermes.

pag. 46. lin. 9. leg. Abdias Trevv.

pag. 60. lin. 12. leg. Harum rationum.

pag. 89. lin. 1. leg. Significator.

pag. 160. lin. 4. leg. Eſt autem.

pag. 186. & 187. Hæ duæ columnæ ſunt tranſpoſitæ.

pag. 189. lin. 14. leg. Sagittarius habet.

pag. 199. lin. 4. leg. perſonas.

Reliqua levioris momenti ſphalmata Lector Benevolus pro ſua dexteritate facilè corriget.

ILLUSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. CHRISTIANO AUGUSTO,

LIBERO BARONI à FRIESEN &c. &c.

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS RECTORI MAGNIFICO,

DOMINO SUO PERQUAM GRATIOSO,

FELICITATEM!

Umuniverſa qvidem Liberalium Artium corona res ita comparata eſt, ILLUSTRISSIME LIBER BARO, *ut nulla inter eas ſit diſciplina, qvæ non* PRINCIPES *qvoqve* VIROS *deceat :* MATHESEOS *tamen, præ aliis, eam indolem videmus eſſe, ut*

ut Illuſtri loco natos, atqve Genere & Virtute verè Nobiles ad ſui amorem, arcanâ qvâdam & occultâ vi, omni ſeculô allexerit. Non dicam in præſenti, qvanto Ægyptii & Babyloniæ Proceres ſtudii hujus amore olim flagrarint. Nec Græciæ Principes, qvi inter lineas & circulos conſenuerunt, nunc memorabo. Qvod ſi temporum noſtrorum adducenda exempla ſunt: Generoſiſſimi NEPERI BARONIS MERCHISTONII no-

nomen meruit , qvod SETHIANIS COLUMNIS, *ſi hæ extiterint unqvam, vel exiſterent hodiè, literis inſcriberetur aureis. Qvanta enim hujus* VIRI *in Arithmeticis & Geometricis imprimis fuerit exercitatio, divinum ejus Logarithmorum inventum, Illuſtrisſimo Barone non tantùm, ſed vel* REGE *dignisſimum ſatis loqvitur. Sed qvid permoverit tanti culminis Virum, ut Arithmeticorum abacis ſe addiceret, in alloqvio ad*

PO-

POTENTISSIMUM BRITANNIÆ REGEM CAROLUM I. *ipſe explicat:* Qvum nullum ſit ſtudium, *ſcribit*, vel doctrinæ genus, qvod generoſa ac heroica ingenia, ad præclara qvæqve & ſublimia magis acuat, contraq; tarda & inſulſa pectora magis obtundat, qvàm Matheſis: non mirandum eſt, eruditos & magnanimos Principes eam magnoperè præt些ritis omnibus ſeculis in deliciis habuiſſe, imperitos verò

& ignavos homines eandem velut ignorantiæ ſuæ & ignaviæ hoſtem, ſemper odio acerrimo perſecutos eſſe, &c. *Credo Illuſtrem* VIRUM *Socratis illius Platonici monitum exprimere voluiſſe, qvi eodem ferè ſenſu ait: Animadvertimus eos, qvi naturâ Mathematici ſunt, ad omnes diſciplinas acutiores apparere, reliqvos, ſi in hac erudiantur, etiamſi nihil aliud utilitatis aſſeqvantur, ſeipſis tamen ingenioſiores effici ſolere. Qvæ*

enim

enim difficiliorem addiſcenti, cogitantiq; laborem, curamq; ingerat, non facile ullam ex rationalibus præter hanc invenies. Enimverò non ſolius Scotiæ ea gloria eſt, qvod BARONEM *dederit, de qvo Andreas Junius in Academia Edimburgena Profeſſor cecinit:*

Nunc etiam ad ſummum eſt culmen perducta Matheſis,
Inq; hoc ſtat, nec qvò progrediatur habet.

GERMANIÆ NOSTRÆ felicitatem minorem eſſe, Tuum, RECTOR ACADEMIÆ NOSTRÆ MAGNIFICE ET GENEROSISSIME LIBER BARO, Illuſtriſſimum exemplum confutat: De qvo id affirmare ego non dubito, & NEPERUM, ſi reviviſcat, admiraturum ſummoperè, nec negaturum TIBI palmam. Neq; enim numerorum arcana tantùm calluiſti dudum

dum, ſed univerſum Oceanum Mathematicum ita emenſus es, ut nihil omninò occurrat amplius, qvod penitiſſimè cognitum non habeas. Ac ſicut Pythagoras in Arithmeticis, Archimedes & Euclides in Geometricis, Ptolemæus, Copernicus & Tycho in Aſtronomicis, Alhazen & Vitellio in Opticis, Vitruvius in Architectonicis, in aliis alii, & ſinguli qvidem in ſingulis ſcientiis excelluerunt; ita harum

rum

rum omnium exactam notitiam, incomparabili exemplô UNUS habes & SOLUS. De reliqvis ſtudiorum Tuorum amplisſimis ſpatiis nihil dicendum in præſenti eſt: Cum de aliis alii Doctores, qvod cenſeant, abundè in TE inveniant. Qvam Felicitatem ILLUSTRISSIMÆ *FRISIORUM FAMILIÆ & Univerſæ Patriæ noſtræ, meritò gratulamur omnes,* DEUMq; *oramus ſupplices, ut*

TE,

TE, præclarum tam præclaræ ſtirpis ramum diu nobis incolumem præſtet & clementiſſimè protegat! Ceterùm cum ea Summorum Virorum indoles ſit, ut non tantùm magna & ſe digna, fronte accipiant hilari, ſed nec humilia aſpernentur facilè, & Tua imprimis, ILLUSTRISSIME DOMINE, *Benevolentia jamdudum omnibus celebretur; per eandem ſpero interpretaberis, qvod à Tuo Splendidiſſimo Nomine, exiguo huic libello auctoritatem con-*

conciliare qvandam & gratiam auſus fuerim, eundemq́ TIBI devotô animô nunc offeram. Sic ILLUSTRISSIME LIBER BARO TE DEUS ſervet, ut Summi favoris Tui radios ſpargere in poſterum valeas in

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Cultorem perpetuum
&
ſervum obſervantisſimum

ÆGIDIUM STRAUCHIUM.

Dab. Witteberg. è Muſæo meo Non. April. Ann. 1664.